9. 2. 69

MODESTINI & POMPONII
In
Colloquiis Familiaribus
DE STATU CAMERALIS JUDICII
In Imperio Supremi
Ad Ordinat. Cam. Partis Primæ
Titulos potiores
MEDITATIONES ACROAMATICÆ.

Traditæ typis
Officinæ Nicolai Ludovici Winckleri.
Anno MDCCXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMONITIO.

Conſilium non fuit, cum componeretur præſens Colloquiorum libellus, ut typis excuſus in manus veniret multorum abſque delectu hominum. Eum vero hoc demum anno Typographiæ tradendum expreſſit juvenum quorundam, qui eundem ignorante & invito Auctore nacti fuere, audacia.

Communicatus fuerat, aliquot abhinc annos, cum amicis nonnullis eximiis, quorum gratiâ ex adverſariis colloquentium erat compoſitus Anno MDCCXXX. *ut, ſi quid invenirent monendum, facerent liberrime.*

Accidit vero ut, cum ab alicujus ex iis benevolentiâ accepiſſet aliquis, fide data,

perluſtrandum, hujus vel incuria vel facilitate nimia alius quispiam non invitatus exemplum manuſcripti fecerit ſibi, mox ad plures &, quod pudere debuiſſet, erga lucellum, derivatum. Circumferri etiam clanculum exempla aliquot, vitioſe etiam deſcripta, fortaſſis interpolata, non absque indignatione compertum fuit noviſſime. Huic ergo abuſui non præviſo, ne ſuccederent alii graviores, per editionem libelli occurrendum fuit.

Prodit itaque recognitus, paſſimque auctus, non mutatis tamen ſermonibus, quos colloquentes hac qua editur tempeſtate in capitibus nonnullis paulo aliter conſerturos fuiſſe, eſt credibile. Relicta etiam eſt olim præmiſſa Præfatio, ex qua de occaſione atque ſcopo doceri poterunt Lectores prudentes, harumque rerum gnari. Alii enim, quod ipſis conſcriptus non ſit hic libellus, nulloque uſui futurus, ſcire debent.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NObilis eſt occupatio, & in officio civili Senatorio conſtitutis Viris digniſſima, Leges meditari, antiquas cum novis conferre, rationes eorum, quæ conſtituta ſunt, intelligere, omnium tenere vim & poteſtatem. Præſens libellus ex conjunctis inter amicos ſermonibus & meditationibus Legum privatis in chartam fortuito conjectis natus, in aliquem ordinem eſt redactus, non ad uſum cujusvis, ſed eorum, qui traditis hujusmodi recte uti ſciunt. Propoſitum non fuit detrahere aliquid ulli hominum, multo minus ipſis Legibus, aut ratiocinia impedire meliora. Liberum eſt cuique re-

rum perito cogitationes addere ſuas, vel ſuggerere præſtantiores. Quæ fuerint colloquentium, tunc percipietur recte, ſi etiam Conſtitutionum verba adhibere placuerit atque meditari. Et cum in Parte prima Ordinationis Tituli fere ſinguli priores inter ſeſe mutuam habeant relationem, non potuit non fieri, quin recurreret quandoque in ſermonibus res eadem. Quodſi aliqua non inveniantur, eo ubi Lector expectaverit loco, reperientur fortaſſis alibi, cum ea ſit Colloquiorum natura, neque injucunda, ut alicubi prætermiſſa, ſuppleantur occaſione arrepta alia. Nemo tamen non agnoſcet, fuiſſe quædam conſulto indicta, & meditationi ulteriori atque experientiæ relicta.

Acroamaticæ dicuntur Meditationes, imitatione quadam Philoſophi, cui id peculiare fuit ac proprium, quod non eosdem ſermones credidit vulgo eſſe ac philoſophis uti-

Digitized by Google

utiles: Sicut nec medicamenta cibosque iis, qui ſumma ſanitate fruuntur, & qui lubrico admodum & periculoſo ſunt corporis habitu. Ob id alios externos vocavit atque expoſitos omnibus eſſe voluit, alios intus concluſit, & cum paucis tuto communicavit. (a) Eundem Alexandro Regi, cum hic ægre tuliſſet quosdam libros editos, quibus ipſe ſolus fuerit eruditus, ad hanc ſententiam reſpondiſſe, Auctor eſt & Græcarum literarum interpres Gellius: *Acroamaticos libros, quos editos quereris, & non perinde ut arcana abſconditos, neque editos ſcito, neque non editos; quoniam his ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* (b)

Porro in Meditationibus hisce comparatas eſſe Leges veteres cum recentioribus,

(a) Themiſtii, Oratoris & Philoſophi quondam præſtantiſſimi, de Ariſtotele hæc ſunt verba, latine reddita à Dionyſio Petavio, *Oratione XV. in Editione noviſſima* Joh. Harduini *Orat. XXVI.*

(b) Aulus Gellius *Noct. Attic. lib. 20. cap. 5.*

bus, & rerum præſentium ſtatu, Lector animadvertet. Flectuntur enim, ait *Sextus Cæcilius ad Favorinum,* (c) Legum opportunitates & medelæ pro temporum moribus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus. Ad eundem fere ſenſum locuti ſunt Viſitatores Judicii Cameralis in Receſſu Anno 1577. §. 4.

Supereſt dicendum, quod lucri ratio nulla fuerit colloquentibus, neque animus permittendi hunc Libellum Bibliopolarum quæſtui. Amicorum tantum uſui probatiſſimæque eorundem prudentiæ relictus eſto & dedicatus.

(c) apud eundem Gellium *lib. 20. cap. 1.*

COLLO-

COLLOQUIUM PRIMUM.

Modeſtinus: Pomponius.

M*Od.* O! exoptatum mihi diem, quo veterem amicum in hac regione amplecti contingit. *Pomp.* Fauſtiſſimum eſt mihi quoque exoſculari chariſſimum neum olim collegam. *Mod.* Non collegam ſolum, ed etiam à juventute ſodalem. *Pomp.* Tanto firmior uit inter nos conjunctio, quo antiquior ſuſceptus amor n ſcholis, ſervatus & auctus in officiis. Separati tandem fuimus ita dirigente Numine propitio, animo amen nunquam diviſi. *Mod.* Tu quidem me tanto elicior, quod procul ab aula ambitioſa invidioſaque vivere tibi contigerit, jura periclitantibus reddenti in udicio Imperiali Supremo. *Pomp.* Vos equidem, qui impoſitum nobis onus experti non eſtis, putabitis orte non niſi in jucundis nos verſari. *Mod.* Habet inumquodque officium occupationes ei proprias, habet

Digitized by Google

conjuncta incommoda, utitur viciſſim ſuis ſolatiis: & hæc tibi, Pomponi, non invideo: Ego tamen Collegio Regiminis & Conſiliis admotus, mutabilem ſtatum inconſtantis expendens aulæ, exoptavi ſæpius vitæ genus liberius, & officium ab arbitrio cujusque ſucceſſoris non dependens. Niſi enim aſſentari ſciveris, hilarique vultu animi ægritudinem diſſimulare, extimeſcendum eſt, ne periclitetur gratia Domini, valeatque adulatorum vel avaritia vel invidia. Non excidit è memoria carmen Horatianum, quod pueri memoria tenuimus, cujus principium: *Rectius vives Licini &c. &c.* (a) *Pomp.* Ego verò genus vitæ tuum ingenio tuo probe convenire exiſtimo. Eſt alius ad aulam magis aptus, alius ad officium occupatiſſimum in Imperiali Camera. Sunt habendæ cuique in rationibus, juxta Dei ter optimi maximi ductum, vires propriæ, & amplectendus tandem viro honeſto locus, in quo permanere quisque malit. Secunda omnia, & ſemper, mortalium vita non habet, neque ut habeat, expediret: Ea demum eſt felicitas vera, quæ cum adverſis ſociata fortiter hæc perferendo ſuperare, animum verò non efferre ſinit. Officium præſens tuum ſi putaveris eſſe difficile, ſi impactos ſentias laqueos quos neque ſolvere queas neque abrumpere, cogita ex Philoſopho, qui *de Tranquillitate animi* ſcripſit, neceſſitatem ferre omnia fortiter, conſuetudinem etiam

(a) *Carmin. 2. 10.*

etiam facile. Sunt equidem officia Aſſeſſorum Cameræ affectui dominantium & viciſſitudinibus non perinde ut aulicorum obnoxia: Ita enim conſtitui ea & nutriri oportebat, ut jura redderentur cum integritate animi etiam adverſus potentes, absque metu injuriæ, ſine expectatione gratiæ, plane juxta voluntatem Legislatorum. (b) Habet tamen ſua incommoda hoc officium eaque haud levia. Quotusquisque verò eſt, cui in aula contingit ſors meritis condigna, qui eandem cum Camerali commutare maluerit? Plures è foro Camerali ad aulas demigraſſe novimus, qui cum Judicio hoc conſuetudinem contraxerant certo tempore limitatam, non verò ut omnem ei addicerent vitam. Ad aulica officia eſt aptior, qui, uti tu Modeſtine, facilem ſe præbere poteſt, neque nimium deſtinatis rebus indulgere, ſed in ea, in quæ caſus deduxit, æquo animo tranſire. Camerale officium Legibus eſt adſtrictum quæ cujuslibet ingenio non conveniunt. Converſatio, etiam ſollicite temperata, vix tamen à ſuſpicione hominum & obtrectationibus eſt immunis. Parum abeſt, quin hic mutua benevolentiæ humanæ officia exulare jubeantur. In magna ſentiendi libertate verba ita libranda, ne ad offenſam trahi queant. *Mod.* Eſtne melior aularum conditio? imo longe durior. Jam vero ſalaria aulica minus ſpectabilia quam

b) *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 19. §. 1.* & *Receſſ. Viſitat. Anno 1713. §. 8. verſu:* Falls hingegen ꝛc.

in officio Camerali, cum primis poſt augmentum dupli, quod Conſulto Imperii noviſſimo Anno 1719. vobis contigit. *Pomp.* Dignum eſt Aſſeſſoratus officio quater mille florenorum ſalarium, neque tamen ſuperfluum, ut plane mirandum ſit, cum tanta invidia quorundam hominum eſſe conjunctum. In aulicis officiis alia naſcuntur commoda, quæ cum illo comparata multum præponderant. Cui amplior eſt familia, in Aſſeſſoratus munere, ſi etiam frugali ſtudeat œconomiæ, non ſane quod abundet ex præſenti ſalario habebit. Multa requirunt hodierni mores, ſi quis in hoc officio vivere velit non in luxu, ſed pro dignitate ſaltem & decoro, ut etiam ab hominum aliorum ſuperborum contemtu liber eſſe queat. *Diogenis*, quem inter Philoſophos vulgo numerant, (c) ſapientiam ſordidam, & *Tigelli* illius *Sardi* apud *Horatium* ſegnem ſtultamque parſimoniam (d) non fert ſeculum in quo vivimus, neque Imperii Senatorum dignitas. Deinde non credo etiam te, Modeſtine, in eo eſſe errore qui multos invaſit, cumprimis potentes, ſalaria dari ad victum, non etiam ad augendam rem familiarem. In Officio Camerali, ſi etiam majus adhuc foret quam eſt auctoramentum, cogitandum erit, liberorum

(c) Vid. Heumanni *Acta Philoſoph. part. VII. ſect. 2.* & ejusdem *Pœcile Tom. I. lib. IV. ſect. 6. 7.*

(d) Horat. *Sermon. lib. 1. Satyr. 3.*

Modo ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga quæ defendere frigus
Quamvis craſſa queat, &c.

rorum hic nullam dari promotionem: meritorum parentis defuncti recordationem in ſolo famæ præmio terminari. Legiſtine unquam, Modeſtine, Commentationem eruditam de *Aſſe, Guilielmi Buddei* qui fuit à literis & libellis Regi Galliæ Franciſco I. *Mod.* Ex Academicis ſtudiis recordor allegationis, ſed plerumque ſufficit ſtudioſis commendatorum librorum retinere titulos. Quid autem iſte auctor Gallus ad ſalaria Aſſeſſorum Cameræ. *Pomp.* Differendi gratia in mentem venit, quid ille ſcripſerit dicta Commentatione: (e) Senatores Romanos, qui defecti facultatibus dicerentur, quingena quotannis ſeſtertia ſolitos fuiſſe accipere à Principibus, queis honeſtam, ſic enim ajebant, paupertatem tolerare poſſent innocenter. Viginti ſeſtertia æquipollere mille noſtris florenis, ex ſchola novimus, quingena ergo florenis 25000. (f) *Mod.* Romanis priſcis plus ſuppetebat pecuniæ, quam Germanis: Ibi tanquam in mare unum quæ confluebant divitiæ, in Republica noſtra plurimas in partes ſunt diviſæ, neque ſoli ſunt Domini Camerales quibus ſalaria conſtituuntur. Habent ſinguli Proceres aulæ ſuæ & Regiminis Miniſtros. *Pomp.* Verum dicis, neque ego veterum Romanorum exemplum ſequendum eſſe puto, ſed quod ſalarium præſens non ſit ſuperfluum, & quod univerſis Reipublicæ membris, dum-

A 3 modo

(e) *Lib. V. edit. veteris Aſcenſianæ fol. 165.*
(f) Vid. Buddeum *dict. Tractat. fol. 27.*

Digitized by Google

modo vellent, facile foret Senatoribus Romanis, ita enim appellantur Aſſeſſores Cameræ, (g) etiam de ampliori proſpicere. Jam vero increbuit, proh dolor! contribuentium quorundam, quibus etiam facultates minime deſunt, in conferenda ſumma adeo facili, cunctatio, ut non parum temporis Camerali Collegio in curis ſuſtentationis inſumendum ſit, quod laboribus officii impendi poterat. In his omnibus Conſiliariis Principum ab horum beneficentia longe majus eſt ſolatium. *Mod.* Beneficentia Magnatum hodie, ubi ex propriis liberalitas exercenda, etiam eſt rara, cum in aliis rebus media liberalitatis ſæpe numero abſumantur. Et quis neſcit fuiſſe olim & eſſe hodie in Aulis paucos, qui ad eum gradum in gratia Principum adſcenderunt, ut etiam ad augendas facultates experiantur Dominorum curam. *Pomp.* Nimirum in quocunque aliquis vixerit officio, nunquam deerunt, quæ ut melius ſeſe habeant, non optet. Verum enim vero, ut exponam tibi plures rationes, quas cum præcedentibus penſi habituros tandem ſperamus, quorum eſt ſuſtentationis hujus Judicii cura: In iis nihili faciendum non eſt, quod in urbe, in qua Judicium Imperiale ſedem habet, imo & in vicinia, nullus ſit mercator, opifex, ruricola nullus, qui non ſtudeat lucrari Cameralium per-

(g) *Concept. Ordinat. Cam. part. 1. tit. 9.* juncto *Memor. Viſitat. 18. Maji 1574. princip.*

perſonarum pecunias. Hinc augetur habitationum conducendarum merces, omnium rerum venalium & opificiorum pretia: Fundi qui olim ſumma leviore comparari poterant, jam decuplo, imo centuplo majore veneunt. Non diffitentur ruricolæ ex vicinia, quod à Dominis ſuis onera imperentur graviora, cum quisque ex rebus tanto carius in urbe vendendis, exempli gratia, lignis combuſtibilibus, media adquirere poſſit. *Mod.* Conſiderare deberent omnes, quod, ſi Judicium Camerale ibi, ubi eſt, non eſſet, ipſi quoque tantis utilitatibus forent carituri. Quid, ſi Judicium Camerale aliam quæreret ſedem? *Pomp.* Cum devaſtatâ urbe Spirenſi, ad Judicium Camerale recipiendum ex urbibus florentioribus nulla facilem ſe præberet, (h) aliæ vero Judicii ſedem exoptarent ſibi ut in majori celebritate eſſe poſſent, largiſſimam faciebant hæ ſpem parabilis annonæ & reliquarum rerum neceſſariarum: ſed lucri bono odore ad cariorem ſtatum omnia ſunt deducta. Idem vero de ſede nova, quæcunque eſſet futura, expectandum. Porro, de mutandæ ſede aliqui rerum ignari ita loquuntur, acſi vehiculis imponi poſſet Collegium cum Archivo, omnique ſuppellectile. Difficillimum eſt, (taceo de juſtitio aliquot menſium, de ſumtibus, aliisque incommodis plurimis) invenire locum Judicio huic aptum, a quo facilis ſit adeptio habitationum commodarum, Sacro-

h) Teſtimonia hujus rei ſunt Acta publica *in Collect. Londorpiana Tom. XIII.*

Sacrorum in Imperio receptorum exercitii publici, cum inſtitutione juventutis & reliquorum ad œconomiam tanti corporis requiſitorum: ubi etiam Camerales frui poſſint immunitate Legibus conceſſa absque ullo impedimento. Et cum neceſſitate ſumma ex membris Collegii nonnulli, plures vero ex numero Procuratorum, ædes proprias comparaverint ſumtibus non adeo modicis ut eorum jacturam pati poſſint absque gravi incommodo: Putasne tu, ædes acquiſitas urbi relinquendas eſſe absque refuſione pretii, vel ergá penſationem leviſſimam? *Mod.* Imo vero damni reparatio ab univerſo Imperio expectanda eſſet? *Pomp.* Cum Anno 1688. Spiræ Cameralium ædes per milites hoſtiles eſſent exuſtæ, parum ſuppellectilis conſervatum, quantum tunc ſolatii publico nomine ipſis contigerit, ex Actis Comitialibus diſcere poteris. *Mod.* Multum ergo difficultatis habere mutationem Sedis Judicii Cameralis, video. *Pomp.* Ita eſt. Neque ea in re jucunditatis majoris vel voluptatis habenda eſt ratio. Nemo ſane erit ſponſor, incommoda, quæ in urbe, ubi ſumus, deſcribi forte poſſent, quibus non obſtantibus per ſemi-ſeculum ferme Judicium permanſit Wetzlariæ, in alia urbe extitura non eſſe, vel ſimilia, vel alia & intolerabiliora. Urbis Wetzlarienſis ſtatus qui fuit cum Judicium huc collocaretur Anno 1689. multis in rebus redditus eſt melior ſucceſſu temporis & ſumtibus non levibus Civitatis, cumprimis vero in ædifi-

Digitized by Google

ædificiis curâ & ære perſonarum Cameralium. Nullus eſt locus ubi non inveniatur aliquid incommodi. Ad labores officio incumbentes ſufficit urbis noſtræ itus &, quæ hucuſque non defuerunt, ad vitam neceſſaria. *Mod.* Jam recordor ex Actis Comitialibus noviſſimis, deliberationem fuiſſe de ædificio novo ſive Curia Judicii exſtruenda in urbe Wetzlarienſi, quod eſt ndicium, Statibus Imperii etiam ut ibi maneatis, placere. *Pomp.* Non tantum fuit deliberatio, ſed etiam placitum Imperii, à Cæſarea Majeſtate confirmatum, neque tamen adhuc cœptum eſt opus. *Mod.* Quambrem verò? *Pomp.* Concluſis Imperii de præſtationibus pecuniarum plerumque non reſpondere alacritatem in ſolutione, experientia docemur. Eſt tamen res plane neceſſaria non tantum ex dignitate Judicii ſed etiam ob ædificii quo hucuſque utimur, anguſtiam, in quo vix duo ſunt conclavia ſpatioſa, reliqua hypocauſtula uni Senatui vix ſufficientia, ne etiam impediantur ad negotia congregati per aliorum introeuntium, exeuntium & loquentium, quod evitari vix poteſt, ſtrepitus. Actorum Judicialium multitudo quotidie creſcens in ordine reponi non poteſt. Et quid de periculo conflagrationis dicam? quod, ſi Omnipotentis bonitate non cuſtodiremur, metuendum. In tali diſcrimine à prædonibus quoque nemo foret ſecurus. Cogita, obſero, Archivum Camerale, quod continet rerum judicialium Voluminum aliquot

 mil-

millia, Documenta probationum permulta, Protocollorum publicorum Bibliothecam. Nulla ſunt exorto incendio in præſenti conditione ædis Cameralis conſervandi media, jactura verò non reparabilis. *Mod.* Juſtiſſimas agnoſco cauſas, non ſolum ut conferantur pecuniæ ad ædificium novum Curiæ Cameralis, ſed etiam ut promta ſolutione ſalariorum & officio & laboribus reſpondentium, vobis proſpiciatur, utque de promiſſis cum augmento poſſitis eſſe absque ſollicitudine ſecuri. *Pomp.* Bene judicas: De laboribus certum puta, Modeſtine, quod, qui ſint labores Aſſeſſorum, pauci intelligant. In infinitis fori litigiis, in evolvendis Advocatorum tricis, in diſcernendis à nucleo verborum inutilium putaminibus, Siſyphi patientia ſæpiſſime opus eſſe credito. Jure quamvis reddito, victus adquieſcit rariſſime. Remedia novi litigii in ipſa etiam executione conquiruntur. *Mod.* Veniam dabis Pomponi, ſi interpellem te loquentem. Agnoſco vim ratiocinii tui, ſed quod de perennitate litium addis, non credidiſſem me auditurum ex te Aſſeſſore. Habetis leges, fallacias litigatorum ſatis compeſcentes. In veſtra eſt poteſtate eas præſcindere, dicteriumque illud, quod in Camera lites ſpirent, non exſpirent, refellere teſtimoniis contrariis. *Pomp.* Ita verò te ratiocinantem demirari oportet, utpote quem non lateat in veſtro foro non accelerari magis proceſſus, dum per infinita leuterationum remedia aliquot

ſen-

Digitized by Google

ſententiarum decadibus opus eſt ad litem terminandam. *Mod.* Quandoquidem litigantes tranſmiſſionem Actorum plerumque deſiderant, annuendum eſt petitis, neque inviti operam elaborandarum deciſionum relinquimus extraneis. Cum verò ab alio Collegio JCtorum petatur ſententia quotiescunque leuteratio eſt interpoſita, facile contingit, ut Referens novus, isque peregrinus, ſententiæ aliquid addat, vel priorem corrigat, id quod iteratæ leuterationi dat occaſionem: Quæ omnia in Camera Imperiali, ubi ipſis Aſſeſſoribus Actorum incumbit elaboratio, evitari poſſe, non dubitavi. Relatum memini à quodam, nominis iam non recordor, ſe per plurium annorum ſpatium Wetzlariæ ſollicitando fere emortuum, nec tamen exauditum: tandem, ne etiam reliquum negligeret, abiiſſe. Idem multis aliis accidiſſe affirmabat. Vera narrari vix crediderim, niſi tu ipſe lites diuturnas allegaſſes. *Pomp.* Quis iſte fuerit relator, cogitando aſſequi non poſſum. Id verò certum, de perennitate litium multos conqueri, qui veram cauſam penitus ignorant, perperam vero univerſo Judicio culpam moræ impingi. *Mod.* Ut ergo de vera rei cauſa me doceas, expecto. Leguntur Relationes Comitiales quæ ad Cameram Imperii attinent in Collegio noſtro, & de inſtruendo Legato deliberatur. Utilis ergo futura eſt mihi accuratior informatio. *Pomp.* Dabo libenter, modo audire velis patienter. Tanta fuit omni

ætate in Camera litigantium multitudo, tanta negotiorum forenſium moles, ut ſi etiam numerus Aſſeſſorum multo major quam qui eſt, adſit Judicio, non ſit dubitandum, laboris affatim fore ſingulis. Sed cum de numero deliberaretur Anno 1648. & 1654. non videbatur ſecutura in nummorum præſtatione contribuentium plerorumque cunctatio. Factum inde eſt, ut cum longe infra ſemiſſem numeri media ſuſtentationis defecerint, excreverit nihilominus & augeatur quotidie proceſſuum, jam decernendorum, jam decidendorum, numerus. Ita ut, quæ cauſa maturatione opus habeat, quæve moram pati queat, (neque enim hic cujusque flagitantium importunitati fides adhibenda) non niſi examinatis diligenter Actis dignoſcatur. Sane omnium cauſarum quotannis concluſarum pars longe minima definitive decidi poteſt. Ita vero impediuntur cauſæ novæ per antiquiores, hæ per illas, extrajudiciales, h. e. Libellorum pro impetrandis proceſſibus, per judiciales h. e. Actorum relationes ad effectum deciſionis, hæ rurſus per illas. Nec mirum, ſi per flagitationes multiplices turbentur obtundanturque & animus & ſenſus. *Mod.* Non eſt facile creditu, in tanto numero proceſſus petentium, litis ingreſſum concedi omnibus. Repellendi ergo forent è veſtigio frivoli litigantes, quorum haud dubie eſt pars major, quam qui juſtam fovent cauſam. *Pomp.* Quaſi vero, priusquam fiat talis repulſio, delibe-

iberatione matura non foret opus. Intelligis enim, ɔerinde eſſe, an denegetur ex. gr. Proceſſus Appellaionis, an ſententia confirmetur. Non errabo longe, ì affirmaverim ex pluribus centuriis libellorum Judicio Camerali quotannis oblatorum rejici ſemiſſem, novoum proceſſuum nihilominus remanere numerum nagnum, ad quem Catalogus Sententiarum definitiarum annuarum, quantacunque etiam opera Aſſeſores defungantur, nullam habet rationem. (i) *Mod.* Ergone Anteceſſores veſtri priſcæ ætatis vobis uere induſtriores? Quanta ſunt Volumina Sententiaum *Seileri* & *Barthii?* *Pomp.* Non inſpexiſti, Moleſtine, ſi credis eſſe plerasque Sententias definitivas: ſunt, pro natura ordinis judiciarii tunc uſitati, interlocutoriæ & levioris momenti infinitæ, imo & decreta extrajudicialia. (k) Iſtiusmodi ex poſteriori ætate colligere promiſcuâ opera, pretium rei nullum fore exiſtinavimus. *Mod.* Undenam vero tam vaſtum ſenentiarum mare olim exortum putas? Suntne legibus ɔbſtructi hodie fontes? *Pomp.* Sciendum eſt primo, orrectis proceſſus ambagibus, ceſſaſſe varias iſtarum ententiarum ſpecies; Ante Receſſum Imperii noviſimum Anni 1654. in Judicio Imperialis Cameræ leliberationes rerum extrajudicialium nihil fere habe-

 bant

) Vid. **Staats-Canzley** *Tom. XXXIV. pag. 542. ſeqq.* ubi legitur deſcriptio ſimilis in literis Collegii ad Imperatorem Anno 1719. exaratis.

c) Vid. *Præfat. ad Collect. nov. Sentent. Anno 1715. editam.*

bant vel laboris vel difficultatis. Narrata Actoris nuda pro Mandato Sine Clauſula qualicunque modo ad iſtam proceſſus viam directa, ad obtinendum Mandatum ſufficiebant: Proceſſus Appellationis ad nuda petita appellantis, abſque libello gravaminum impetrabantur: In progreſſu demum cauſæ producebantur & occupabant Judicem articuli actionis ſolennis, defenſionales, eliſivi, contra-eliſivi, probatorii, & aliæ articulorum inſcriptiones. Hinc tantus Actorum & proceſſuum antiquorum in Archivo Camerali numerus; Hinc infinitæ interlocutiones. Inter eosdem Actores & Reos, ex una eademque origine, natæ ſunt interdum Mandatorum Sine Clauſula decades. Iſtiusmodi Acta ſi ad informationem Judicis in recentioribus proceſſibus, prout eſt neceſſarium, adhibentur, utilem quidem ad eruenda cauſæ merita, ſed improbum ſatis adferunt laborem. Remedium abuſui adferre debuerat, *§. Alle Supplicanten &c. 79. Receſſ. Imper. Noviſſ.* & cum nihilominus non ceſſaſſet abuſus omnis, recentiori *Lege Viſitationis §. IX. X. XI.* cautela fuit injuncta. Hinc verò non mirandum, ſi hodierno tempore arduus ſit in decernendis proceſſibus vel denegandis labor, ſæpenumero definitivis relationibus gravioribus æquiparandus. Non intelligunt hoc ſatis, niſi qui in ipſis rerum argumentis verſantur. *Mod.* Sane ego aliter hæc omnia ſeſe habere mihi imaginabar. Gratiſſima eſt itaque mihi informatio tua:

Me-

Memini etiam me audire aliquando vocem cujusdam, non ſatis, ut arbitror, informati, pro unaquaque Aſſeſſoris relatione mille florenorum ſalarium ex-pendi, cum non niſi quatuor anni ſpatio requirantur. *Pomp.* Recte judicas, non informatum fuiſſe de his rebus, qui hæc dixit, credo etiam invidia plenum. Tametſi enim labores Aſſeſſoribus non injungantur veluti penſa opificiaria, unusquisque tamen, qui & religione ducitur & nominis famam non inſuper habet, operam dare ſolet, ut non videatur in officio negligens, & talis, qui ſalario absque labore debito frui velit. Imo verò inter Aſſeſſores laudabilem in diligentia æmulationem obſervavimus. Deinde, quod ex textu *Ordinationis part. 1. tit. 12. §. 10.* juncto *tit. 23. §. 4.* de numero relationum elaborandorum colligitur, ad proportionem ſalarii male adplicatur. Adeo excrevit extrajudicialium rogationum, ſive ſupplicationum pro proceſſibus materia, augeturque in dies, cum numero, tum gravitate, ut magna pars temporis iſtis deliberationibus abſumatur, neque fieri poſſint omnibus diebus ad Senatum frequentandum conſtitutis, relationes cauſarum. Porro, ad numerum certum relationum definitivarum, absque diſcretione laboris, nullus Aſſeſſorum adſtringi poteſt, neque ea fuit mens Ordinationis dicto loco. Accidit quandoque, ut anni ſpatio ab Aſſeſſore eodem non quatuor modo vel ſex, ſed decem pluresve relationes definitivæ abſolvantur & recitcn-

citentur, pro qualitate cauſæ & Actorum prolixitate. Rurſus occurrunt Acta excerpenda atque ad ſyſtema deciſionis redigenda tantæ molis, tantive operis, ut, ſi inter labores reliquos extrajudicialium, & auſcultationes referentium aliorum (ubi ſæpius ſtudio domeſtico ad votum reddendum opus eſt) annuo ſpatio abſolvatur iſtiusmodi relatio una vel duæ, is omnino recte & diligenter functus eſſe officio ſuo ſit exiſtimandus. Et quotusquisque eſt, qui lectioni Actorum eorundem, tædioſiſſimo ſæpe ſtylo, & literis quæ oculos perdunt, (cumprimis in Actis antiquis) conſcriptorum, conſtanter incumbere queat. Pauci enim ſunt ex numero Advocatorum qui etiam eleganti ſcripturæ dant operam, vel amanuenſes adſciſcunt ſatis peritos. Hoc mirum, quod etiam hodie in nonnullis Judiciis Scribæ aſſumantur, quorum ductus literarum alibi ne inter ruſticos quidem toleraretur. Certe legenti ſumma exinde naſcitur moleſtia. *Mod.* Jam rectius ea de re edoctum me agnoſco. Perge quæſo modum diſtributionis Actorum & Relationum explicare. *Pomp.* Hæc res ad aliud tempus reſervanda erit, ubi partem primam Ordinationis in colloquio explanare potero tibi. *Mod.* Expecto id avidiſſime. Interim intellexi, deliberationes de proceſſibus decernendis eſſe arduas, & plus temporis requirere, quam olim erat neceſſarium. *Pomp.* Difficiliores ſæpius eſſe dixi deliberationes extrajudiciales, quam Actorum juſtæ molis

ela-

Digitized by Google

elaborationes, relationes & deciſiones. Frequenter enim, qui in Judicio inferiore fuit victor, quamprimum de appellatione interpoſita factus eſt certior, Judicem ſuperiorem interpellat pro Mandato de Exequendo ſententiam priorem, & ſic plures in una cauſa Libelli Supplicationum ſunt expediendi. Accedunt ſæpius literæ Judicis informatoriæ, cum earum refutatione. *Mod.* Ita ergo mirum non eſt, ſi tot millium Proceſſuum antiquiorum novorumque, qui indies augentur, pauciſſimæ definiantur per ſententiam. *Pomp.* Omnino. Cum enim referenti omnes Aſſeſſores Senatus auſcultare neceſſum habent, plures cauſæ ſimul tractari nequeunt. De una cum deliberatur, & quandoque pluribus diebus, imo pro amplitudine Actorum ſeptimanis, cæteras omnes quieſcere oportet. *Mod.* Hoc facile capio, plures cauſas ſimul tractari non poſſe, una enim impediret alteram, & nullibi hoc fieri prudenter, ratio dictitat. *Pomp.* Videris mihi, Domine, eſſe hic in errore aliquo. Univerſum Collegium ſi congregari deberet ad quamlibet cauſam vel ſupplicationem expediendam, multò pauciora edi poſſent decreta, ſententiarum graviorum fere nihil. Hinc à prima Conſtitutione Imperialis Cameræ ſalutari conſilio dividuntur Aſſeſſores in Senatus, quorum ſingulis tributa eſt poteſtas decernendi & definiendi. Ergo quod ajeras, plures cauſas ſimul tractari non poſſe, de uno eodemque Senatu recte intelliges, non de toto Collegio.

C *Mod.*

Digitized by Google

Mod. Jam memini Senatuum diverſorum ex Ordinatione Camerali, quam in hac regione non multum utilem, non niſi ſemel & perfunctoria lectione evolvi. *Pomp.* Imo legem Imperii publicam & vos ſcire deberetis: ſi & alibi, quod vereor, non major eſt Juris Cameralis, h. e. partis eximiæ Juris Imperii publici, cura, non mirandum, ſi in leges ſæpe committatur: quod etiam de ſuſtentatione Judicii Cameralis ſollicitudo non ſit permagna. *Mod.* Accipio libenter reprehenſionem tuam. Verum enim vero, ut ad propoſitum revertar, totus orbis Germanus laudat majorem decretorum & ſententiarum maturationem in Judicio Imperiali Aulico. Ibi tamen omnia negotia in pleno Conſilio, præſentibus omnibus qui non ſunt impediti, tractantur. Perſuaſus ſum etiam, numerum cauſarum illic ſuperare eum, qui eſt in Camera. *Pomp.* De numero reſpondere non poſſum. Id ſcio, quod in Catalogis rerum reſolutarum qui ſingulis diebus publicantur, longe pauciores ſint deciſiones cauſarum definitivæ quam interlocutiones: Fieri enim aliter non poteſt in ullo Judicio. Porro alius ibi modus eſt expediendi negotia, qui, ſi in Camera receptus eſſet, non dubitandum, faciliori negotio deciſiones eſſe ſucceſſuras. *Mod.* Peto hujus rei explanationem uberiorem. *Pomp.* Primo loco, referendi methodum Camerales nonnullos novimus adhibuiſſe præter neceſſitatem diffuſiorem, non ſolum in recenſendis Actis, ſed etiam in votis. Neque

Digitized by Google

que memini ullius exempli, quo monitus fuerit aliquis, lege ita jubente *Receſſ. Imper. 1654. §. 143. & 147.* ut à prolixitate abſtineret. Excuſatio erit facilis. Et de abundantia orationis quis decidet? Si quis facti narratione ſola, etiam ex Actis demonſtrata, ſubjuncto voto, abſolvere vellet relationem, verendum eſſet, ne noneatur, ex omnibus Actis compendium, Extractum rocant, non ſolum domi conficiendum, ſed etiam in Senatu recitandum eſſe. Sunt materiæ, quæ in votis lluſtrationem juridicam deſiderant uberiorem, ſunt liæ, ubi ejusmodi opera admodum foret ſuperflua & ædioſa. Secundo, quæ ad maturationem negotioum facere debebat, Senatuum formatio, niſi alia acedant adminicula, removeanturque obſtacula, in ſe abet non nihil impedimenti. Hoc ut intelligas, ciendum eſt tibi, adſtrictum credi plerumque Senaum ad præſentiam omnium qui ſemel alicui cauſæ inerfuerunt, ut nonnunquam piaculum exiſtimetur, ſi inonſulto uno (de Referente hic non eſt ſermo) aliquid oncluderetur. Impeditur aliquis valetudine, quod acidere poteſt facile, aut peregre abiit, aut ad alium Seatum eſt vocatus: ecce ſiſtitur illius cauſæ curſus. Neſcit hæc impedimenta Judicium Cæſareum Aulicum. Tertio, inſigne compendium eſt in Judicio Aulico, Referentis cujusque cauſæ ad primam libelli exhibitioem conſtitutio, qui deinde non mutatur, ſi ad definivam ſententiam res deducitur. In Camera mutatio-

Digitized by Google

nem Referentis fieri debere ſemper, quidam volunt, neſcio an ſatis ad mentem legislatorum *in Receſſ. Imper. 1654. §. 139. in fin.* Quæ verba potius de ſubſtrata ibi materia accipienda eſſe puto. Hæc vero mutatio incredibilem adfert negotiis remoram. *Mod.* Quamobrem quæſo? *Pomp.* Facile eſt intellectu, magis facere ad cauſæ deciſionem maturandam, ſi aliquis ex Actis informatus à principio, in progreſſu cauſæ notitiam ejus capere perrexerit, neceſſaria annotando ſucceſſive, porro proceſſus totius curſum dirigat, interloquendo ad leviores ſubmiſſiones, procraſtinationibus cum litigantium tum Advocatorum remedium adferat: Quam ſi more hucuſque conſueto, Aſſeſſor expeditione ſupplicis libelli ſibi demandata defunctus, decreto proceſſu, incertus an inpoſterum deciſioni cauſæ ſit interfuturus unquam, omnem iſtius negotii curam deponat, atque ad alia adplicet animum ſuum laboremque. Quid litigantium nomine in Audientia publica agatur, quæ ſcripta producantur, nulli Aſſeſſorum eſt curæ, uſque dum Acta ad expeditionem diſtribuantur. Tum vero Referenti novo, non niſi poſt concluſionem cauſæ juxta *Receſſ. Viſitat. 1713. §. 60.* conſtituendo (quod ſæpius fit multis à concluſione præterlapſis annis, quia in diſtributione antiquiorum cauſarum eſſe debet prærogativa) Acta integra plerumque confuſiſſima & perperam accumulata evolvendi, excerpendi, extrican-

:andi, magno cum labore, neceſſitas eſt impoſita. In ıoc rerum ſitu, quem perdidicerunt callidiores cauārum patroni, omnia momenta obſervantes, nihil ·ſt facilius quam moras nectere, ſcriptorum & adjunctorum inutilium farraginem adaugere, ut deinde vel pſa Actorum moles laborem abhorrere faciat. Mulæ ſunt protelandi artes, quæ licet intelligantur, reırehendi tamen ſemper non poſſunt. Dilationes infiitæ, non conceſſæ, ſed ſumtæ, ſive, ut ajunt, collelæ: Controverſiæ de articulis intercedentibus ſuperacuæ: Productorum ſcriptorum verboſiſſima & intilis prolixitas, haud raro etiam obſcuritas & à ſcopo berratio. Putant ſæpe cauſarum patroni, de circum:antiis omnibus, quas in ſcriptis uno alterove verbo :tingunt, Judicem ſuperiorem non minus eſſe inforıatum, quam ſunt ipſi. Et quid dicam de reſtituonum adverſus ſententias petitionibus immoderatis. Ioc enim remedio plerique temporis lucrandi ſtuio utuntur, quia executionem ſententiæ ſuſpendit. :ui abuſui ut remedium per ſummam pecuniæ in evenım deponendam adferatur, maxime foret ſalutare. t quis emetiretur artificiorum forenſium vias. Hæc :nnia in Judicio fiunt, & absque venia, dum nemo ›rum, quæ in unaquaque cauſa geruntur, curam ha:t, neque ob negotiorum multitudinem, ſinguloım habere poteſt. *Mod.* Putabam ego ejusmodi :otelationes & cauſidicorum technas legibus eſſe coercitas.

citas. Pœnas ſi dederint aliqui, reliqui exemplo fient cautiores. *Pomp.* Scilicet in veſtro foro ſimilia non exaudiuntur. O mihi rigoroſos mulctarum dictatores! Emoriar, niſi graviores apud vos occurrunt defectus, non excuſati quidem, ſed tamen non vindicati. *Mod.* Novi Horatianum illud: Iliacos intra muros peccatur & extra. *Pomp.* Leges ſunt bonæ, ſed fruſtraneæ, niſi etiam ſint, qui eas cuſtodiant. Camerales leges, quotquot ex iis ad promotionem cauſarum faciunt, tunc obſervabuntur, ſi majori & ſufficienti Aſſeſſorum numero Judicium florere contigerit. Conſidera, ut unico ſaltem exemplo res illuſtretur, legem de diſtributione Actorum ad definitivam ſententiam concluſorum quavis ſeptimana facienda Aſſeſſoribus ſingulis, *Ordinat. part. 1. tit. 12. §. 2.* Hoc ſi fieret rerum ſtatu præſenti, Aſſeſſorum paucitas ad Acta in ædibus recondenda non ſufficeret. Ad Actorum cuſtodiam non ſunt conſtituti Aſſeſſores. Acta, diſtributa etiam, relinquuntur in Archivo publico, donec ſuſcipiatur eorum expeditio. Solatium quandoque petunt partes, & obtinent, ſi ſciant datum eſſe Actis aliquem Referentem. Solamen ſterile, ſi poſt plurium annorum expectationem Referens per alias occupationes, quibus diſtringitur quotidie, Actorum nec proram nec puppim cognoverit. Dolendum, inquam ſolamen, ſi abſoluto etiam labore, referenti nequidem ad recitandum relationem tempus conceditur.

Mod.

Digitized by Google

Mod. Mira tu mihi exponis antea nunquam audita. *Pomp.* Veriſſima tamen. Erraturus non ſum, ſi plus quam centenas relationes definitivas in Aſſeſſorum ſcriniis paratas eſſe dixero, quæ tempus recitandi expectant. Otioſis eſſe Aſſeſſoribus non licet: Tantum abeſt, ut admonitione illa *in Ordinat. part. 1. tit. 2. §. 4. 5.* fuerit opus, ut potius de remedio cogitandum foret, quo relationes, quas unusquisque elaboratas habet, abſolverentur. *Mod.* Quis vero vobis interdixit, ne Senatum frequentetis pluribus, quam facere ſoletis, & diebus & horis, non ſolum ante meridiem, ſed etiam à prandio uſque ad veſperam? *Pomp.* O cenſorem crudelem! ad Perilli exemplum ablegandum, quem conſilii ſui infelicem fuiſſe auctorem, Poëta commemorat. (l) Quaſi vero humanæ vires ea quæ dicis, ferre poſſent. Ad Actorum elaborationes tempore domeſtico opus eſt ſufficienti. Litigantium plures credo nihil curaturos, ſi Aſſeſſor occumberet, modo ipſorum cauſæ forent deciſæ. *Mod.* Ex his, quæ diſſeruiſti, conjicio, ab arbitrio Directoris fere dependere, quam cauſam voluerit distributam ad referendum, cujusque deciſionem præ aliis maturari, quam interim ſeponi. *Pomp.* Imo legibus eſt circumſcriptum Judicis vel Directoris arbitrium. *Mod.* Quæ vero hisce defectibus remedia? *Pomp.* Numero Aſſeſſorum ad XXV. completo, facilius emendabun-

(l) Ovid. *de arte amandi lib. I. v. 650. ſeqq.*

dabuntur cetera, & maturationi cauſarum providebitur. *Mod.* Cum vero Collegii Cameralis ſit Aſſeſſores in numerum recipere, nonne recidet in Vos ipſos hujus defectus cauſa? *Pomp.* Abſit ut hoc in mentem veniat cuiquam. Absque ſalariorum ſolutione præſentationes effectum ſortiri nequeunt. Quotam dividendam minui neceſſe eſt, ſi numerus diviſor creverit. Nullus ex præſentatis, cui alibi eſt fortunarum ſedes commoda, amplectetur hanc, ubi parum ſpei in percipiendo ſalario, per conſuetam nonnullis in locis in erogandis pecuniis cunctationem. Speramus tamen tempora uberiora promtioraque conſilia eorum quibus ſolutio incumbit. Interim, ne etiam qui Officium actu gerunt patiantur detrimentum, ratio poſtulat, ut numerus Aſſeſſorum reſpondeat quanto ſolutionum. His etiam ſi quid deficiat, tolerandum eſt & expectandum. *Mod.* Agnoſco. Placetne tibi ut ſciſciter, num in poteſtate ſit Aſſeſſorum ut concluſiones cauſarum promoveantur? *Pomp.* Quidni? Niſi enim litigantes vel Advocati ſibimet ipſis fuerint impedimento, cujusque cauſæ, quanquam gravioris (breviori enim ad leviores opus eſt tempore) concluſio fieri poteſt intra triennium & citius pro re nata. Totus ventilationis ambitus circumſcriptus eſt libello, exceptionibus, replicatione, duplicatione. Ad exceptiones producendas terminus eſt duorum menſium: ad replicandum trium, rurſusque trium ad duplicandum. Mandato-

datorum SineClauſula proceſſus nequidem admittit duplicas. Ulteriora ſcripta non niſi cum venia Judicis producere licet. Dixi intra triennium, ut indulgeatur reliquum temporis neceſſariis dilationibus. Verum enim vero contingit ſæpius, ut in termino reproductionis citatus non compareat, ſed proclama expectet. Plerumque licet comparuerit, nihilominus ad excipiendum petit terminum novum & ampliorem, quam erat in citatione expreſſus. In Mandatorum Sine Clauſula proceſſu (quorum deciſio celerior eſſe debebat ex mente legum, ſed jam eandem habet ſortem cum aliis) terminus citationis, ſive ad reſpondendum, eſt unius menſis ab inſinuatione computandus. Et ecce! præter intentionem legum, quotiescunque aliquid prætera agendum occurrit, terminum trium menſium conceſſum eſſe vulgo creditur. Procraſtinationes iſtiusmodi frequentes ſunt litigantibus pleriſque, non exceptis etiam perſonis illuſtrium, quorum aliqui plus indultum ſibi exiſtimant. Aucto Aſſeſſorum numero plures erunt Senatus, maturabuntur magis labores, quibus numerus præſens par eſſe non poteſt. Habenda enim ſemper eſt ratio & eorum, qui valetudine impediuntur, & abſentium, tempore legibus indulto. Hoc ut fiat, & Concluſum noviſſ. Imperii de 5. Novembris 1720. effectum ſortiatur ſperatum, omnes exoptamus. *Mod.* Relationes Comitiales, quæ ad nos pervenerunt ab Anno 1720. uſque huc, ſemper materiam

D ſuſten-

ſuſtentationis Cameralis repetiere, ut dubitatio animos invaſerit, an concluſum tale, quod refers, mi Pomponi, factum fuerit. *Pomp.* Rem non ſatis deplorandam! vix publicatâ Anno 1720. Cæſarea ratihabitione, quæ vim Legis Pragmaticæ addidit Concluſo Comitiali trium Collegiorum Anno 1719. dubitare cœperunt multi, an etiam ſerio res acta eſſet in Comitiis. *Mod.* Verum dicis, ego ipſe inter dubitantes fui, ab aliis confirmatus. *Pomp.* Videntur mihi dubitatores iſti, quæ de moderationibus Matriculæ poſtea acta ſunt in Comitiis, præſagio quodam intellexiſſe. *Mod.* Ita credo. Nam quod per Concluſum Imperii datum erat, factum eſt cum conditione moderationis. *Pomp.* Abſit talis interpretatio Concluſi de ſalario, cujus conſtitutio nullam habet conditionem, ſed ſi per moderationes fundo aliquid decederet, alia erant ſurroganda media. *Mod.* De his dum deliberatur, vos interim defectum ſalarii experiemini. *Pomp.* Audio non tuum ſolum, ſed plurium in aulis & urbibus Imperii errorem graviſſimum, imo invidiam. Cum interim Aſſeſſores Cameræ ad obſervationem Legum officii obligati eſſe debeant. Quotusquisque vero eſt veſtrum, qui ſe ad ſtatum ſalariorum, qui erat antiquiſſimus, reduci patienter ferat. Ut augerentur aliquoties ſalaria Cameralis Collegii, cauſæ fuerunt legitimæ, ut diminuerentur unquam, nullæ quæ prioribus ſint juſtiores. *Mod.* Facile perducor in ſenten-

tiam

tiam tuam. Et cum ſeveris legibus ab omni alio lucro officii faciendi cauſa capiendo abſterreantur hujus Judicii membra, de ſalario ſufficiente, & parata ejus ſolutione, proſpiciendum ipſis fuerat. *Pomp.* Qui honeſtatis & conſcientiæ curam habent, ſeveritatem legis facile patiuntur, gratis facere ſemper parati, ſi ea, quæ Juſtitia cauſæ exigit, volunt litigantes. Sin autem contraria, ad obtinenda ea nullus eorum habet auri argentique ſatis. (m) Orbis terrarum divitias ego accipere nolim ad Juſtitiam temerandam. *Mod.* Mirum ergo, quod inveniantur, qui ſpartam hanc, & certatim ambiant. Jam dudum enim perſonuere voces odioſum eſſe nonnullorum Imperii Statuum Conſiliariis aulicis, vel Judiciis Provincialibus Dicaſterium ſuperius. *Pomp.* Iis credo, qui ægre ferunt corrigi ſententias & decreta Judicum inferiorum nimium arbitraria. *Mod.* Et quis ſponſor eſt futurus univerſum Judicii Cameralis ſyſtema nulli unquam mutationi fore obnoxium? *Pomp.* Non exiſtimo neſcire te Legem publicam Imperii *Capitulationis Cæſareæ Art. XVI.* *Mod.* Atqui tempora incidere poſſunt, in quibus aliud ſtatuendum imperet neceſſitas. Taceo tempeſtates bellicas, quæ curſum Judicii, cum Spiræ eſſet, per aliquot annos turbarunt. Quod tunc temporis multa mala & fortunarum damna perpeſſi fuerint Camerales, antea tu commemoraſti. De antiquiore tempeſtate belli

 tri-

(m) Paucis mutatis exprimitur locus *Cornel. Nepot. in Epaminond. cap. 4.*

tricennalis plenæ ſunt hiſtoriæ. Non magna erit mihi conſultatio, ut ubi ſum & in quo officio, vivere malim. *Pomp.* Credo hoc tibi fore convenientiſſimum. Aſſeſſoribus vero Cameræ qui in officio conſenuerunt, viresque laborum multitudine fractas ſentiunt, meliora tempora ſunt optanda, neſcio an ſperanda. Providentiæ Divinæ etiam plurimum eſt tribuendum, qua hucuſque Judicium Imperii conſervatum fuit. *Mod.* Hoc facto eſt optimum. Interim de rebus Cameralibus ulteriorem informationem abs te expecto, quam non inutilem mihi fore puto. *Pomp.* In alia converſatione noſtra familiari, explanationem partis primæ Ordinationis, quam petiiſti, accipies. *Mod.* Patieris ergo mi Pomponi, ut dum apud nos verſaris, promiſſi hujus te commonefaciam. Ego ut recolamus propediem colloquium curabo. Vale.

COLLOQUIUM SECUNDUM.

Modeſtinus: Pomponius.

MOd. In præcedente noſtra converſatione Ordinationis Cameralis, quæ de Perſonis earumque officiis agit abs te mihi promiſſa expoſitione, ut nunc demum me impertias, peto, imò poſtulo. *Pomp.* Faciam libenter. Ne vero opus ſit ea recen-

Digitized by Google

recenſere, quæ ex ipſis verbis Legis ſunt percipienda ſatisque clara, tu ipſe quæſtiones formabis, reſponſionem à me expectaturus. Hoſpites qui ſunt in rebus Cameralibus, dubia habent, quæ futura alius non cogitavit. Proinde quæcunque inter ſermones ſubnaſcentur tibi, ſciſcitaberis. Eſt enim erotematica methodus in hiſce rebus non modo facilior, ſed etiam ad inſtructionem capiendam utilior. *Mod.* Satius erit mihi quoque viva voce doceri, cum ad Commentarios evolvendos non detur otium in officio meo præſenti. *Pomp.* Neque etiam ex Commentariis omnia, quæ à me tibi explanari poterunt, diſces. Eſt ne ad manus Codex Ordinationis, ut ipſum adhibere poſſimus textum? *Mod.* Eſt, cum notis *Blumii*, qui etiam Commentarium ad Jus Camerale conſcripſit, opus, ut audivi olim in Academia, abſolutiſſimum. Eſt etiam Receſſus Viſitatorum Anno 1713. publicati exemplum, quod à Subdelegato noſtrate accepi & Codici adjunctum repoſui. *Pomp.* Sufficiet vetus iſta editio ad ſcopum noſtrum, conferendo noviſſimam quam dixiſti DD. Viſitatorum legem, Comitiali placito ſtabilitam. Quod de editionibus novis Codicis Legum non fueris ſollicitus, non miror, cum in hac diſciplina hoſpitem te eſſe declaraveris. Sunt autem recentiores editiones duæ: *Wetzlarienſis* una, altera *Francofurtenſis*, utraque editione veteri Blumiana longe melior, non typo ſolum, ſed etiam quod in his fontes conti-

neantur, ex quibus Codex iſte eſt compoſitus: Receſſus Viſitationis & Decreta Collegii Cameralis generalia. Plenior tamen eſt editio Francofurtenſis, rarior facta per incendium Francofurtenſe, quod damna intulit ingentia bibliopolis. Præfationes utrique præfixæ ſunt Aſſeſſoris cujuſdam Cameræ Imperialis, eundemque auctorem habent notulæ editioni Wetzlarienſi in fine additæ, textui non interjectæ. Quod de *Blumii* Commentario ajebas, graviter errare puto, quibus eſt perſuaſum, opus eſſe tale quod doctrinæ gratia conſulendum ſit præ aliis omnibus. Aliter ſentiunt qui caſtigationes ſive Vindicias *Deckherrianas* evolverunt. *Mod.* In catalogo librorum novorum, quem ex Nundinis Francofurtenſibus & Lipſienſibus adferre ſolent noſtrates bibliopolæ, memini me legiſſe titulum novæ Commentationis ad Blumium *Joh. Chriſt. Bocken. Pomp.* Ita ſcilicet dantur notarum notatores. Digniorem ego exiſtimo laborem, ſi ipſe Ordinationis textus illuſtretur, vel ſyſtema aliquod componatur. *Mod.* Commentatio Syſtematica ab Aſſeſſore quodam Cameræ Anno 1722. edita haud dubie ad doctrinam Jurisprudentiæ Cameralis ſufficiet? *Pomp.* Auctor Commentationis iſtius, cujus prima editio fuit Anno 1719. altera Anno 1722. tertia auctior Anno 1730. de inſtituto ſuo eſt præfatus: Conſilium non fuiſſe ſibi, ſyſtema, quod unum huic ſtudio ſufficere poſſet, componendi, neque verba Legis Cameralis recen-

cenſendi aut ab aliis abunde dicta & vulgaria exſcribendi, ſed Obſervationes potius ſingulares ad Jus Camerale, ſyſtematico tamen ordine tradendi. Ad partem ſecundam & tertiam Ordinationis facit potiſſimum dicta Commentatio. Prima vero pars acroamaticis doctrinis illuſtrari poteſt facilius, quam Commentario exponi. *Mod.* Novam aliquam editionem Codicis Legum Cameralium comparabo quam primum. Utamur interim ea, quæ ad manus eſt, veteri. In principio pro ea, quam indulſiſti mihi, libertate, quærere placet cauſam tituli. *Pomp.* Poſt Ordinationem Caroli V. Imp. Anno 1555. publicatam & Voluminí Receſſuum Imperii inſertam, multa ſunt addita per Receſſus Imperii ſequentes, Viſitationes ordinarias, Conſultationes Cameralis Collegii in Receſſibus Imperii adprobatas, nec non per Decreta Collegii generalia. Ex his omnibus Ordinatio nova debuit conſcribi, idque factum Anno 1613. ſed Legis publicæ approbatione Codex iſte caruit, vid. *Receſſ. Imper. 1654. §. 134.* unde retinuit nomen *Operis Concepti.* Inciderunt enim mox tempora funeſta patriæ, quibus ſilentio fere involvebantur Leges. Facta deinde pace Anno 1648. & Lege Imperii Pragmatica Anno 1654. multa rurſus in Ordinatione veteri correcta, plurima ſunt addita. Acceſſit Anno 1713. Receſſus Viſitationis noviſſimæ, adeo ut repetita ſtructura novæ Ordinationis opus foret, cujus concinnandi labor nulli huc-

uſque

Digitized by Google

uſque eſt demandatus. Eum vero quis quæſo ſuſcipiet, niſi publica auctoritate munitus, & cui ab aliis laboribus detur vacatio? Utimur ergo Codice iſto *Concepti*, ut appellatur, pro lege, quantum Ordinationi veteri Carolinæ, Receſſibus Imperii & Viſitationum ſubſecutis congruit. Hinc in margine novarum editionum fontes accuratius, quam in *Blumiana* veteri, allegatos videas. Quæ vero per Conſtitutiones Imperii poſteriores mutata ſunt vel addita, oportet obſervare ſeparatim. Annotationes ex Receſſu Imperii Anno 1654. in editionibus novis fuere retentæ. Utiliſſimum vero eſt conſulere fontes, quia ex iis rationes legis & occaſio ſæpius cognoſcuntur. Proinde nec illa quidem editio Concepti quam *Corpori Juris publico Academico* noviſſime recuſo (hæc eſt libri inſcriptio) inſerere placuit auctori, ex Wetzlarienſi, ut videtur, absque cura debita deſumtam, uſum ſufficientem præſtabit, niſi fortaſſis iis qui in hoc ſtudio perfunctorie ſaltem verſari cupiunt. *Mod.* Placet informatio tua de inſcriptione Codicis & editionibus recentioribus. Accedamus *ad Part. I. Tit. 1. & 2.* cujus principium agit *de Judice Camerali*. Hiſtoria docet, functos fuiſſe hoc officio inſigni mox Eccleſiaſticos Principes Imperii, mox Seculares, ut ita loquar phraſi vulgari, ſæpius etiam Comites Imperii. Officium vero hoc putarem convenire perſonæ ordinis politici potius, quam Eccleſiaſtici? *Romp.* Ita ait *Ordinatio*

in

in princip. Tit. I. Doch mit einem Weltlichen vor einem Geiſtlichen ſeines Standes / wo der zu bekommen. Meminiſti tamen ex Conringio *de Judiciis Germaniæ*, Antiſtitum magnas ſemper fuiſſe partes in negotiis Imperii, etiam Judiciariis. Iſti ergo non geſſerunt officium Judicis qua tales, ſed qua Principes Imperii. Noſti, Modeſtine, Eccleſiaſticos Principes in poteſtate politici Regiminis terrarum à ſecularibus Principibus non differre. *Mod.* Recordor tamen ex Relationibus Comitialibus, dubium motum fuiſſe Principi cuidam Imperii Eccleſiaſtico ad officium Judicis adſpiranti, quod per regulas Ordinis ſpecialis, quem erat profeſſus, Pontifici Romano magis adſtrictus eſſet, quam alii. *Pomp.* Iſtud ſuo loco relinquemus, neſcio enim an ſatis certa ſint quæ relata refers. Allegantur quandoque in ſermonibus rationes non ſatis fundatæ. Sæpius etiam in negotiis ea tantum, quæ ſpeciem aliquam habent, cum ſubſint aliæ reconditæ. Quis nam vero de obligatione Principum Eccleſiaſticorum omnium erga Sedem Romanam in rebus Eccleſiaſticis dubitaverit? *Mod.* Epiſcopis Spirenſibus puto collatum fuiſſe officium Judicis, ut in urbe Imperiali Spira, quæ olim fuit Judicii locus, non eſſet alius auctoritate majore præditus, quam ipſe Epiſcopus. *Pomp.* Etiam alii Eccleſiaſtici Principes geſſerunt olim officium Judicis, Oſnabrugenſis, Mersburgenſis. Trevirenſis Elector *Philippus Chriſtophorus*, primus fuit ex Electoribus,

 idem

idem quoque Spirenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit Princeps Margravius Badenſis Anno 1652. Tum vero Archi-Epiſcopus Trevirenſis *Joannes Hugo.* Factus hic erat Epiſcopus Spirenſis Anno 1675. Elector Anno 1676. Cameræ Judex creatus Anno 1677. 20. Auguſti. Officium geſſit uſque ad mortem, Anno 1710. *Mod.* Putabam ego dudum antea depoſuiſſe officium Judicis. Quomodo enim præſente Judice Juſtitium exoriri potuiſſet ſeptem per annos? *Pomp.* Juſtitii cauſæ aliæ fuerunt primæ, aliæ ſecundæ, quæ ignem latentem ad incendium excitarunt, ſed præſtat hæc perpetuo obtegere ſilentio. Præſentem autem Dominum Judicem Wetzlariæ tunc non fuiſſe, hiſtoria docet. Catalogum DD. Judicum, Præſidum & Aſſeſſorum, Procuratorum etiam, à primordio Judicii collegit (præeunte *Catalogo,* qui extat *in Volumine Sententiarum* Barthii) Wormſerius, & adjunctus eſt Denaiſii *Juri Camerali edit. Argentorat. in Octavo.* Novus Catalogus, Collegii Cameralis tantum, & utiliter adornatus cum præfatione lectu digna, acceſſit editioni noviſſimæ Commentationis Syſtematicæ, cujus ſupra facta eſt mentio. In eo Catalogo primus Cameræ Judex Comes Hohenzolleranus ab ipſo Maximiliano Cæſare, tum præſente, legitur conſtitutus. Sequuntur reliqui omnes priſca dignitate Ordinum Imperii. *Mod.* Solennia introductionis Domini Judicis in Camerali Judicio ſcire vellem, poteriſne mihi ea paucis enar-

enarrare. *Pomp.* Paucis verbis fieri non poterit, facilius vero tecum communicare volo deſcriptionem aliquam prolixiorem. *Mod.* Eam igitur expectabo. Unum adhuc ſciſcitari placet: Difficile mihi videtur invenire inter Principes Imperii, cumprimis ſeculares, talem, qui inſtructus ſit virtutibus in Ordinatione requiſitis, & qui hoc munus arduum ſibi imponi velit. Vereor ne aliqui officio huic ſe pares non eſſe agnoſcant, plures vero detrectent. *Pomp.* Crediderim ego non defuturos in Republica noſtra Proceres ad ſpartam hanc idoneos, qui Reipublicæ cauſa onus hoc in ſe ſuſcipere non dedignentur. Recte enim cogitabunt, in conſtitutione hujus Judicii magnas eſſe partes Imperii Statuum: Inter primaria Imperii officia eſſe Judicis in Camera: Quo majore ſit dignitate & celebritate qui officio huic præficitur, tanto majorem fore exiſtimationem ipſius muneris & totius corporis, cujus eſt caput. Salarium ſi videatur modicum, honorem & auctoritatem in Imperio, ſi etiam animi dotes concurrant, eſſe potiorem. Neque etiam ejus naturæ eſt officium, ut ſuperari nequeant ejus difficultates, cumprimis ſi conſilio Præſidum & Aſſeſſorum utatur, ab arbitrariis vero vel externis conſiliis abſtineat, vid. *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 4. & 21.* De qualitatibus Judicis ſpecialis eſt infra *Titulus X.* *Mod.* Dicitur Judex Judicii caput, ergo non poteſt non ei præſidere. Alios tamen eſſe ſcio *Præſides*, de quibus in Ordinatione nullus *Lit. A.*

lus reperitur titulus peculiaris. *Pomp.* Nomen Præſidum ab initio Judicii non erat. Senatibus tamen præſidebant Aſſeſſores aliqui ex Comitum Imperii ordine, à Cæſarea Majeſtate præſentati. Evolve *Ordinat. 1555. part. 1. tit. 11. §. 1.* Prima vero mentio Præſidum (quo nomine officii inſignitos deinde Aſſeſſores iſtos colligitur) occurrit *in Receſſ. Viſitat. Anno 1562. §. 11.* Verba Codicis novi des *Concepts tit. 10. §. fin.* deſumta ſunt *ex Receſſ. Viſitat. Anno 1571. 21. Maji, §. 5.* juncto *Receſſu 1600. §. 7.* Utitur autem Imperator in Conſtitutione Præſidum verbis *præſentationis*; In conſtitutione Judicis formula antiqua erat, Anno 1652. & 1677. adhuc obſervata, benennen und *præſentiren* / recentior vero, erklären und vorſtellen. Præſides recipiuntur à Collegio præviis ſolennibus iisdem, examinis generalis & introductionis, quæ obſervantur in perſonis Aſſeſſorum. Hæc etiam ratio, quod neglecta à Præſidibus per abſentiam pars ſalarii, inter Aſſeſſores, qui Senatum frequentarunt, diſtribuatur, & viciſſim, qua de re infra pluribus dicendum ad *Tit. VIII.* Aliud vero ſtatuit Ordinatio de neglecto ſalario Judicis, quod nimirum accreſcere debeat ærario ſalariorum communi. *Mod.* Quid ergo commodi Judicio Camerali ab officio Præſidum? *Pomp.* Magnum omnino. Et poteris hoc diſcere ex Textore *ad Receſſ. Imper. Noviſſ. diſputat. 2. §. 17. 31.* Nimirum præſente Judice, huic ſoli directio omnis rerum ad Collegium per-

pertinentium incumbit. Cum vero materiæ judiciariæ non tractentur in *Pleno,* congregatis Aſſeſſoribus omnibus, ſed in diviſis Senatibus, opus putavere Legislatores, ut cuilibet Senatui adeſſet Præſes, qui etiam cum Domino Judice, ubi opus, conferret conſilia, & ab eo quid agendum acciperet. Abſente Judice vel impedito, per *noviſſimam Legem Viſitationis §. 5.* omne Directorium recidit ad eum, qui ex Præſidibus eſt in officio Senior, niſi ſit cauſa quæ impediat. Et debetur Præſidibus eadem quæ Judici obſervantia idemque honor, vide *Concept. Ordinat. Cam. part. 1. tit. 10. §. fin.* juncto *Receſſ. Viſitat. Anno 1571. 21. Maji, §. 5.* & *Anno 1600. §. 7.* Cum tamen ſint in Collegio plerumque Aſſeſſores veterani, qui, quid ſit officii ſui non neſciunt, aliosque ubi eſt opus moneant; Intelliges, Modeſtine, non ceſſaturos Aſſeſſores in laboribus & domeſticis & ordinariis, etiamſi, quod factum aliquando memini, neque Judex neque Præſes foret præſens. Edebantur tunc non minus decreta, publicabantur ſententiæ, Judiciique curſus continuabatur. Sciunt Aſſeſſores, cauſarum deciſionem ipſis præcipue legibus demandatam eſſe, & caſu tali, de quo loquimur, inter ipſos non erit anarchia, directorium non deerit. Honorem enim diſtribuendi quotidianas ſupplicationes, & proponendi quæ moram non ferunt, relinquunt ei qui ordine ſeſſionis eſt prior. Præſtat tamen, ut Directorio ordinario vel Judicis vel

Præſidis, nunquam careat Judicium. *Mod.* Cum ergo ab Imperatore conſtituatur Judex, videtur officium ejus eſſe delegatum. *Pomp.* Non magis eſt delegatum, quam ipſius Cameræ Juriſdictio. Hæc, cum totius Imperii nomine Cameræ ſit tributa tanquam ordinaria, Judicis officium non poteſt eſſe delegatum. Nam & ipſe Judex pari formula jurisjurandi obſtringitur, qua obligantur Aſſeſſores, & Statibus Imperii, quotiescunque ad viſitandum Judicium Camerale Delegatos mittere placuerit, rationem geſti officii reddere debet, Legesque accipere. Pleni ſunt præceptorum etiam ad Judicem, Receſſus Viſitationum ab Imperii Statibus inſtitutarum antiquiorum, & noviſſimæ. *Mod.* De Judicis & Præſidum perſonis audivi quæ volui, reliqua ipſis ex Legibus accepturus. Nunc de *Aſſeſſorum* numero expones ea, quæ putabis obſervatione digna. *Pomp.* Variæ hic extitere mutationes. De antiquiſſimo tempore dicere non eſt opus. *In Ordinat. Tit. I.* numerus conſtituebatur XLI. Extat adhuc tabella vetus cum figuris ligno inciſis ex An. 1615. in qua conſpicitur iſte numerus Aſſeſſorum eo Anno, cum nominibus ſubſcriptis. In *Lege Imperii Pragmatica Anno 1648. artic. 5. §. 57.* placuit numerum conſtitui *Quinquaginta*, præſentandorum juxta Schemata duo, quorum alterum eſt *dicto §. 57. Inſtrum. Pac.* alterum *in Receſſu Imper. §. 169.* utrumque conjunctum exhibet Deckherrus *ad Ordinat. part. 1. pag. 55.*

Mod.

Mod. An unquam ab eo tempore numerus Aſſeſſorum quinquaginta fuit completus? *Pomp.* Nunquam. Spiræ aliquando fuere XVIII. plurimo tempore uſque ad Annum 1719. non niſi XII. Poſt publicatam enim dictam Imperii Legem, quanta de ſolvendis etiam ſalariis tempore ſemeſtri, ſuſtinendoque ærario Camerali, fuerit ſollicitudo, res ipſa teſtatur. Adeo, ut noviſſimo Conſulto Statuum Imperii Anno 1719. à Cæſarea Majeſtate Anno 1720. in vim novæ legis approbato, numerus Aſſeſſorum ad ſemiſſem ſive XXV. fuerit reductus, quamprimum de mediis ſuſtentationis proſpectum fuerit, complendus. Non major requiritur ſumma quolibet anno conferenda pro ſalariis, quam 91069. Imperialium,* onere admodum tolerabili univerſis Imperii Statibus eorumque ſubditis, à quibus hæc contributio exigitur pro ſuſtentando ſupremæ Juſtitiæ Collegio. Non creditur oblivioni uſpiam datum iri hanc exactionem. Tanto minus excuſandi ſunt, qui, quod eo nomine receperunt, non ſolvunt, ſed ad alios uſus convertunt. *Mod.* In *§. 2. tit. 1.* legitur de qualitatibus in Aſſeſſore requiſitis, de nobilitate generis, de gradu Academico. Hæc omnia num uſu hodierno obſerventur, certus fieri vellem. *Pomp.* Digna ſane eſt ſparta, quam etiam illuſtri & generoſa ſtirpe antiqua progeniti ambiant, ut etiam per hos Reſpublica Germaniæ in parte nobiliori adminiſtrationis Juſtitiæ

* *Concluſ. Comitial. 12. Novembris 1726. lit. C. cum Ratiſic. Cæſar. 2. Novembris 1727.*

tiæ gubernetur; Neque defuere unquam in Collegio antiquâ nobilitate Viri digniſſimi, vel Cæſaris, vel Electorum nomine, vel Circulorum præſentati. Semiſſem numeri Aſſeſſorum ex Equeſtri Ordine Leges antiquæ requiſiverunt *Anno 1495. §. 1.* & *1507. tit. 1. Anno 1555. tit. 1. §. 3.* vel *Concepti §. 2.* Quod ſi tamen præſentaretur etiam ab Electore ſeculari Vir dignus, licet non antiquæ nobilitatis, vid. *§. 3. hujus tituli*, hoc ſolo defectu ab Aſſeſſoratu non excluderetur. Quod de equeſtri nobilitate dicitur in Lege, intelligendum eſt de Germanica, non vero de extera: Recens eſt memoria præſentati cujusdam origine Germani, qui à Rege extero Nobilitatis Regni dignitatem habebat, & propterea gradum Academicum dedignabatur: Huic conſilium datum, ut à petitione Aſſeſſoratus abſtineret, donec à Cæſarea Majeſtate & Imperii Statibus declarationem legis, vel extenſionem ad Nobilitatem exterorum Regnorum impetraſſet. De *Bohemia* Regno non eſt dubitatio, nam ad Imperium Germanicum referri, tibi Modeſtine, non puto eſſe ignotum. *Mod.* An etiam Eccleſiaſtici Ordinis perſona Aſſeſſor poterit fieri? *Pomp.* Legem quæ prohibeat, non ſcio. Neque tamen novi exemplum recentius, (antiquiora ſunt aliquot, teſte Catalogo Aſſeſſorum veterum) fortè quod rarì ſint hodie Eccleſiaſtici Viri, qui etiam Jurisprudentiæ ad tale officium gerendum ſufficienti navent operam.

Mod.

Mod. De numero & qualitate Aſſeſſorum informatus, locum in Collegio cuique eſſe puto ſecundum tempus geſti officii, quod fit in Collegiis aliis. *Pomp.* Nequaquam, ſed qui eſt in officio ſenior, poteſt eſſe in loco ultimus, viciſſim occupare locum primum, licet ſit tempore introductionis noviſſimus. Non habent Aſſeſſores Cameræ inter ſe dignitatis inæqualitatem vel prælationem ullam: Contemtui ſe exponet, qui eam affectaverit. Occupant autem locum in Collegio tanquam præſentati Statuum Imperii, more in Comitiis recepto, h. e. juxta ordinem Dominorum præſentantium, Electorum & Circulorum. *Mod.* Obſervavi in Schemate Perſonarum Collegii etiam Aſſeſſorem à Cæſarea Majeſtate præſentatum, ergo non præſentant Electores ſoli & Circuli? *Pomp.* Ita eſt, & præſentatio Cæſarea *in Ordinatione* noſtra *Tit. 1. §. 2.* & *Inſtrum. Pac. Weſtphal.* ſtabilita *Artic. V. §. 20. verſu: Ne tamen hæc res &c.* Nam à primordio Cameræ non defuere exempla Aſſeſſorum Cæſareæ Majeſtatis.* Ordinis vero antiquo more obſervati ratio dari poteſt veroſimilis, non tamen ex certis monumentis, qua de re dicendum alio loco. *Mod.* Unde vero Circulorum ordo? *Pomp.* Non eſſe neque à potentia neque à dignitate perſonarum, facile patet: Auctorem Circulorum fuiſſe exiſtimant nonnulli Maximilianum I. Imperatorem, Cameræ Imperialis conditorem: Eundem alii antiquiorem Germaniæ diviſionem ex uſu veterrimo

F

* Vid. *Catalogum adjectum Edit. noviſſ. Commentat. Syſtemat. ſupra dicta.*

mo retinuiſſe volunt. Mitto hanc quæſtionem hiſtoricam, quam noviſſime tractavit JCtus Helmſtadienſis, hodie Göttingenſis, *Treuerus* im Bericht vom Urſprung der Reichs-Crenße. Hic originem ſex Circulorum cum *Wenckero* aliisque ad Alberti Imperatoris, qui Sigismundo ſucceſſit, tempora refert, & per documenta probat. In Corpore Receſſuum Imperii mentio Circulorum prima eſt Anno 1500. in Ordinatione Regiminis Imperialis, ubi recenſentur Status Circulorum ſex: *Franconici*, *Bavarici*, *Suevici*, *Rhenenſis*, *Weſtphalici*, *Saxonici*; Idem numerus & ordo repetitur *in Ordinatione Camerali Maximiliani I.* Conſtantiæ *Anno 1507.* publicata & ſequentibus *Caroli V. Anno 1521. tit. 4.* & *Anno 1555. part. 1. tit. 1. §. 2.* & *tit. 2.* Fortuito autem ita numeratos fuiſſe Circulos aliqui credunt, incipiendo à Franconico, qui eſt in medio Germaniæ, pergendo ſic ad reliquos vicinitate junctos. Neque tamen eodem ſemper ordine fuere recenſiti, vid. Limnæi *Jus Publ. lib. 1. cap. 7.* & *in Addit.* Schweder. *Jur. Publ. Part. general. cap. 5. §. 5.* *Mod.* Decem vero eſſe Circulos Imperii Germaniæ in Juris Publici Compendiis legimus, ubi nam ergo quatuor reliqui? *Pomp.* Decem numerari hodie Circulos verum eſt, ſed diviſionis Germaniæ Provinciarum antiquiſſimæ in ſex Circulos rationem permanſiſſe, docet Coccejus *in Jur. Publ. Prudentia cap. 4.* inter alia negotia, etiam in præſentatione Aſſeſſorum, eâ ſaltem differen-

tia,

tia, ut juxta *Inſtrum. Pac. Oſnabrug. Anno 1648. Artic. V. §. 57.* ex uno Circulo Saxonico facti ſint duo, ſuperior & inferior. Reliqui enim, *Auſtriacus, Burgundicus*, præſentandi Jure gaudent ratione ſpeciali, quod habuere, cum diviſio Provinciarum in ſex Circulos in præſentandis Aſſeſſoribus adhuc vigeret. Evolve ſi placet *Ordinat. Camer. Anno 1521. tit. 4. §. 1. Ordinat. Camer. Anno 1555. part. 1. tit. 1. §. 2. & fin.* juncto *Receſſ. Imper. 1654. §. 169.* In tabulis Pacis dicto loco aſſignantur ad complendum numerum quinquaginta Aſſeſſorum, unicuique ex dictis ſex Circulis (diviſo tamen Saxonico in duos, vid. Coccej. *dict. cap. 4. §. 6.*) Aſſeſſores quatuor. Auſtriaco & Burgundico cuique tantum duos, nullum vero Circulo illi Rhenenſi qui dicitur Electoralis, cum Electores præſentent quâ tales, non Jure Circuli. De Aſſeſſoribus à Cæſarea Majeſtate præſentandis agit *Inſtr. Pac. dict. Art. V. §. 53. Mod.* Iſtam Schematum rationem nunc demum rectius intelligere me puto. Et cum noviſſima Conſtitutione Imperii ad ſemiſſem reductus ſit Aſſeſſorum numerus, facile eſt judicatu, eadem proportione in poſterum fieri debere præſentationes. Nihil autem in lege ſæpe dicta Pragmatica habetur de Electorum Regis Bohemiæ & Brunſuicenſis præſentationibus. *Pomp.* His omnino, cum in Collegium Electorale introducerentur, Jus præſentandi æquale cum ceteris Electoribus eſt reſervatum. *Mod.* Qualis ergo ad numerum quinquagenarium Aſ-

Digitized by Google

ſeſſorum, hodie ejus ſemiſſem, proportio? *Pomp.* De proportione hodierna dicere non auſim. Schematis novi conſtructio Legislatorum eſt, non privatorum; Et ea in re cogitationes etiam eloqui publice, vel typis mandare, videri poſſet temerarium. Hoc interim certum, quod novem Aſſeſſores ab Electoribus novem præſentati, in Collegium Camerale jam dudum ſint recepti. Et cum metuendum non ſit, concurſum aliquando fore Statuum omnium quibus Jus præſentandi competit, obſervabit Collegium juxta *Legem Viſitationis noviſſimæ §. 22. verſu:* Allermaßen dann ꝛc. ut præcedat ſemper receptio ejus, qui tempore præſentationis exhibitæ eſt prior. Deinde ne augeatur numerus ultra XXV. Lege noviſſima cautum eſt: Et ſtatus ærarii Cameralis rationem habendam, ipſa docet neceſſitas. *Mod.* Paritatem numeri Aſſeſſorum pro diverſitate Religionis obſervari vult Lex Imperii Pragmatica, uno excepto, eoque à Cæſarea Majeſtate præſentato. Intelligo itaque à Statibus Catholicis præſentari Catholicos: ab iis qui Auguſtan. Confeſſionem ſequuntur, huic etiam addictos. Quid igitur ſi Elector aut Princeps præſentans ſacra mutaverit? *Pomp.* Is nihilominus præſentabit ejus religionis virum, qualem exigit Schema in lege publica conſtitutum, neque alium admittere licebit Collegio, donec alia Lege Imperii fiat mutatio. Complura ejus rei habemus exempla. Neque enim à præſenti Religionis Principis alicujus profeſſio-

feſſione argumentum deſumi poteſt, quod ſtatus idem futurus ſit in perpetuum, ubi per ſucceſſionem legitimam territoria transferuntur. Alia ratio eſt Epiſcopatuum Roman. Catholicorum. *Mod.* Ergo absque præſentatione legitima fieri Aſſeſſor nemo poteſt? *Pomp.* Recte ſentis: In omni præſentatione Princeps eſt quæſtio de literis præſentatitiis, an venerint ab eo, cui præſentatio competit, & an ſtylo convenienti, hoc eſt, verbis non imperitantibus, neque deciſivis de præſentati qualitatibus ad hoc officium requiſitis. Harum enim cognitio & dijudicatio Collegio eſt Legibus Imperii tributa. Ergo cum conditione fieri ſolent præſentationes, ſi Collegium perſonam judicaverit habilem. Et, ſi aliquem præſentatum ad officium non admittendum eſſe ſtatuerit Collegium, cauſas Domino præſentanti aperire non tenetur. *Mod.* Audivi ſæpius de ordine præſentantium in Circulis uſitato, *Turnum* vulgo appellant, ea de re accuratius vellem edoceri. *Pomp.* Ambulatoriæ præſentationes alicubi ſunt receptæ publicæ utilitatis gratia, ut tanto promtius expedirentur literæ, neque opus eſſet caſu quolibet exiſtente convocari Status Circuli omnes. Totius enim Circuli Jus eſt præſentandi, niſi perſonæ electio & præſentatio membris quibusdam Circuli conſenſu reliquorum ſit relicta. Turnus itaque præſentandi in Comitiis Circularibus eſt conſtituendus, prout factum in Circulo Saxonico Superiore Anno 1654. Hiſtoriam

rei geſtæ recenſuit Müllerus Conſiliarius Saxonicus Vinarienſis *in Electu Jurid. Hiſtor. Tom. 1. cap. 1.* In altero Circulo Saxoniæ, qui à ſitu dicitur inferior, ordinem præſentandi inter Status conſtitutum Anno 1654. fuiſſe ajunt, de quo tamen Statuum nonnulli in ordine illo non nominati querelas moverunt Anno 1662. ſed rejecta res fuit ad aliud tempus, neque in Comitiis Circuli ſequentibus Anno 1671. & 1673. ad exitum perductæ. Ad meos reverſus mittam tibi, ſi volueris, exempla documentorum, ex quibus ea, quæ dixi, pleniori modo cognoſces. *Mod.* Expectabo promiſſa cupidiſſime. In eo vero negotii ſtatu quidnam ſit conſideratione dignum, tu mihi explanabis. *Pomp. Prima conſideratio* eſt, quod in Receſſu utroque Circulari Anno 1654. reſpexerint Status ad Receſſum Imperii eodem anno Ratisbonæ 17. Maji publicatum. Tunc enim quinquagenarium numerum Aſſeſſorum mox complendum eſſe exiſtimabant, & providendum erat, ne Circulo aliqua imputari poſſet mora. Rebus vero Cameralibus ad eum ſtatum non perductis, ut quinquaginta Aſſeſſores ſubſiſtere poſſent, negotium præſentationis ea ſaltem ratione mutatum fuiſſe, facile colligitur. *Secundo*, obſervamus differentiam in utriusque Circuli conventionibus. Anno 1654. Superioris Saxoniæ Status non tantum de præſentandis tunc temporis Aſſeſſoribus pacti ſunt, ſed etiam de præſentationibus futuris ordine ambulatorio faciendis. Inferioris

Lit. B. & C.

ris vero Saxoniæ Receſſus Anno 1654. de quatuor tunc præſentandis à Ducatibus *Magdeburgenſi*, *Bremenſi*, Sereniſſima Domo *Brunſuicenſi*, tum vero Ducibus *Mechlenburgenſibus* conjunctim cum Ducibus *Holſatiæ*, loquitur præcipue, absque mentione futuri ordinis ambulatorii. Additur ibidem, Status reliquos Circuli tempore futuro excluſos non fore: modus vero & ordo ad aliam deliberationem remittitur. Præſentati itaque fuere & recepti ad Aſſeſſoratum *Brunnerus* nomine Ducatus Magdeburgici Anno 1657. *Eybenius* à Ducibus Brunſuicenſibus Anno 1678. *Krebſius* à Rege Sueciæ nomine Ducatus Bremenſis Anno 1702. *Mod.* Non ergo eo ordine, quem antea ex Receſſu Circulari allegaveras? *Pomp.* Juxta Receſſum, præſentationem Brunſuicenſem præcedere debebat Bremenſis: Permiſere vero tunc Domini Præſentantes eum quem dixi ordinem. *Mod.* Quid vero de Statibus reliquis hujus Circuli? Fuit ne facta conventio ulterior? *Pomp.* Factam non fuiſſe docent Receſſus Circulares ſequentes Anno 1657. 1662. 1671. 1673. Semper res in aliud tempus fuit rejecta, & cum ceſſaverint jam dudum conventus in utroque Circulo Saxoniæ Superiore & Inferiore, incertum eſt, an conventio futura ſit unquam. *Mod.* Mira res eſt in iſta materia Status Circuli conſpirare non potuiſſe. *Pomp.* Quid vero mirum, cum etiam leviores ob cauſas negotia Conventuum publicorum quandoque rumpan-

pantur. Hic vero non multum erraturum eſſe puto, qui crediderit, cauſam fuiſſe, quod Epiſcopus Hildeſienſis in negotio præſentationis partes etiam ſuas eſſe voluerit, recuſantibus Statibus reliquis. *Mod.* Non video rationem negandi, cum Jus Status Circuli Epiſcopo Hildeſienſi concedatur, præſentatio vero ad Aſſeſſoratum ſit negotium Circulare. Hoc intelligo, præſentandum eſſe debere Auguſtanæ Confeſſioni addictum. *Pomp.* Evolvendum tibi eſt *Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſe Artic. V. §. 53. verſu: Ne tamen hæc res &c.* & *§. 54. & 57.* ubi cognoſces pluribus in verbis diſtingui ſollicite in Jure præſentandi Status Auguſtan. Confeſſ. à reliquis. Circulum vero Inferioris Saxoniæ inter eos Circulos, qui mixtæ Religionis vocantur, non referri. Aſſerunt ergo Status Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes, Hildeſienſi Epiſcopo tanquam Principi Romano-Catholico in hoc Circulo Jus præſentandi non magis competere, quam Statibus nonnullis Auguſtan. Confeſſ. in Circulo Bavarico. Schema Præſentationis Principum & Statuum Romano-Catholicorum *in Receſſu Imperii 1654. §. 169.* eſſe conſtitutum, in quo, ut ratio haberetur Epiſcopi Hildeſienſis, tunc temporis ipſum ſollicitum eſſe oportuiſſe. *Mod.* Quis vero ſtatus rerum foret, ſi Epiſcopus Hildeſienſis Jure præſentandi nihilominus uti voluerit, vi Receſſus Circularis hoc Jus reſervantis? *Pomp.* Acta Circularia de Anno 1654. docent, tunc temporis de excluſione Epiſcopi Hilde-

Hildeſienſis actum fuiſſe, & Principem Maximilianum Henricum Epiſcopum Hildeſienſem proteſtatione ſolenni 31. Decembris 1657. conſulere ſibi voluiſſe, reliquos vero Status Auguſtan. Confeſſ. poſſeſſionem aſſeruiſſe ſibi privativam. (a) *Mod.* Dominum Krebſium Aſſeſſorem jam dudum Anno 1723. defunctum eſſe accepi. An ergo hucuſque vacuus manſit locus præſentationis? *Pomp.* Minime. Defuncto enim *Krebſio* conſociarunt ſe Statuum aliqui ad præſentationem faciendam. Deficiente enim conventione Circulari, hoc iis integrum fuiſſe, nemo facile dubitaverit. Præſentabatur mox nomine Principatuum Halberſtadienſis & Lauenburgenſis Dominus de Z. qui tamen cum ordo receptionis juxta *Receſſum Viſitat. noviſſ. §. 22.* eum attigiſſet, officium priſtinum, magis forte utile ſibi, continuare maluit. Receptus itaque fuit præſentatus in ordine temporis ſequens, Ducatus Holſatiæ nomine, Dominus de Ulmenſtein. *Mod.* Attamen in Receſſu Circulari ſocietas facta fuit præſentationis inter Duces Holſatiæ & Megapolitanos? *Pomp.* Hoc quidem verum, ſed præſenti tempeſtate, qui ſit Status Ducis Megapolitani, Acta Comitialia & plurima ſcripta publica loquuntur. *Mod.* Jam memini. Sed aliud mihi hæret dubium, quare præſentatio Hal-

G ber-

(a) Edita eſt Anno 1734. *Diſcuſſio Academica de Jure præſentandi Aſſeſſorem Cameræ in genere & in ſpecie in Circulo Saxon. Infer.* Auctore Joh. Paul. Kreſſio JCto Helmſtadienſi, in qua hæc materia pluribus verbis tractatur.

Digitized by Google

berſtadienſis & Lauenburgica occupaverit præſentationem Holſaticam? *Pomp.* Prævenifſe non eſt dubium, relicto tamen loco præſentationi Holſaticæ. *Mod.* Poteruntne ergo eſſe duo? *Pomp.* Quidni? ſunt enim duo Circuli Saxoniæ Superioris præſentati, & eſt hæc proportio ad numerum Aſſeſſorum XXV. Poſt legem Imperii Anno 1720. de XXV. Aſſeſſoribus publicatam, de duobus præſentandis non fuere ſolliciti Status hujusCirculi. Nunc in locum præſentatiHalberſtadienſis & Lauenburgici præſentati expectabitur recipiendus alius. *Mod.* Eſt ne ergo inter præſentatos plures ordo receptionis certus & immotus à tempore exhibitarum literarum præſentationis? *Pomp.* Eſt ſane per expreſſam ſanctionem *§. XXII. Receſſus Viſitat.* *Mod.* Sic autem facto præſentati, vel etiam, ſi contigerit præſentatum aliquem concluſo Collegii ad officium non admitti, Domini præſentantes in effectu præſentationis præcluderentur? *Pomp.* Ad munus Aſſeſſorium obeundum lege aliqua nemo adſtringitur, cum etiam Aſſeſſor factus ſexennio exacto id relinquere queat: Voluntate vero præſentati excludi pro illa vice effectum præſentationis, verba Legis Viſitationis clare ſatis indicant: **Wann nicht dieſer ihm ſelbſt an der Annahme verhinderlich geweſen /** & reliqua. Si etiam præſentatus ratione doctrinæ vel morum fuerit à Collegio rejectus, imputare debent ſibi Domini præſentantes, quod de qualitatibus ejus certiores fieri non ſtudue-

duerint. *Mod.* Ergo ne præſentato rejecto non licebit ei ſurrogare alium? *Pomp.* Differentia eſt tenenda inter Dominos præſentantes in Turno, ſive ordine ambulatorio per pactum ſtatuto, vel extra talem ordinem, v. gr. Princeps Elector quisque jure proprio præſentationem exercet. Quod ſi Electoralis præſentatus à Collegio Camerali rejiceretur, ſurrogari poterit alius, quouſque locus Electoralis præſentationis eſt vacuus, nihilque naſcitur præjudicii, quam quod recipi poſſit interim præſentatus alius tempore prior: Diverſa eſt ratio Dominorum præſentantium in Turno. Si enim in locum perſonæ rejectæ licitum eſſet ſufficere alium, grave exinde naſceretur præjudicium Dominis in ordine ſequentibus. Sufficit hoc caſu unumquemque officio ſuo præſentationis functum eſſe ſemel. Quod ſi de qualitatibus præſentati informatus non fuerit ſatis, hoc ipſi, non alii imputandum erit. *Mod.* Hæc quæ diſſeris, Domine, fruſtra in Rodingio & Blumio quærerem. *Pomp.* Et multa alia. Quid enim iſti? quorum ille nequidem Spiræ unquam vixit; hic Advocati Cameralis titulum geſſit, ſed libellis conſcribendis, non vero foro dedit operam, à Deckherro paſſim & merito caſtigatus. *Mod.* Et tamen citantur frequentiſſime. *Pomp.* Hoc fit plerumque ab iis qui à juventute iſtis libris ſunt uſi ductoribus ad forenſe ſtudium, nam cui quis aſſuevit libro, hunc ægre dimittit. *Mod.* Verum nos à materia in qua ſumus di-

gredimur nimium. Quinam extiterunt ab Anno 1654. ex utroque Circulo Saxonico Aſſeſſores? *Pomp.* Nomina Aſſeſſorum leges in Appendice Commentationis Syſtematicæ, cujus ſupra injecta fuit mentio, ubi etiam de ſerie Principum ſuperioris Saxoniæ qui præſentationes exercuerunt, informaberis. *Mod.* Ex Comitialibus relationibus Ratisponenſibus memini me legere ſcripta quædam, indicantia controverſiam de præſentatione Circulari Saxoniæ ſuperioris. Antea diſſerueras, negotium præſentationis in hoc Circulo eſſe ad ordinem ambulatorium compoſitum. Cum vero præſentationes Ducum Saxoniæ ſucceſſivum habuerint effectum, ordo videbatur attigiſſe Pomeraniæ Ducem, qui eſt Rex Sueciæ. *Pomp.* Res ita fuit comparata: In Circulo ſuperiori Saxonico præſentationis Jus competit Electori utrique, non tantum Jure Electorali proprio, ſed etiam juxta Conventionem Circularem Anno 1654. qua Statibus Circuli. Et tunc temporis de quinque præſentandis agebatur. Agnovere mox Status Circuli, non hujus tantum, ſed & aliorum, fruſtra fore præſentationes ante conſtituta media ſuſtentationis. Electores Saxonici & Brandenburgici præſentatos Electorales Spiram mittere non neglexerunt: Circulares vero præſentationes quieſcere paſſi ſunt, quas interim Duces Saxoniæ ambulatorio ordine exercuerunt, receptique fuerunt in Collegium ſucceſſive, pro ea, quæ erat tunc, conditio numeri Aſſeſſorum,

 æra-

Digitized by Google

ærarii reditibus adæquata. Reſtituto Anno 1711. Judicio (de Juſtitio Anno 1704. cœpto diſſerere non eſt hujus loci) cum Aſſeſſorum numerus ad quinarium uſque decreviſſet, pluresque eſſent præſentandi, conſilium fuit Electoribus, & primum quidem Brandenburgico, præſentationes Circulares, non derelictas, ſed ſuſpenſas hucuſque, repetendi. Quæ tamen res Anno 1711. anteriore exiſtente præſentato Sereniſſimi Ducis Iſenacenſis, effectu caruit. Cum vero iſte Anno 1722. oblatam ſibi Electoris Palatini præſentationem acceptaſſet, & relicto loco Circulari, Electoralis præſentati locum occupaſſet, receptus fuit in Collegium Circuli nomine à Rege Poruſſiæ Electore Brandenburgico præſentatus. Cum deinde pari jure uteretur Elector Saxoniæ, moxque ſequeretur præſentatus à Rege Sueciæ, Ducatus Pomeraniæ citerioris nomine, hæc origo controverſiæ fuit ſcriptis publicis tractatæ, cui ut Collegium Camerale ſeſe immiſceret, cauſam non habuit, neque etiam vel de augendo numero, neque de ſurrogando alio erat tunc quæſtio. Tandem Anno 1728. dato caſu ſurrogationis, receptus etiam fuit ad Aſſeſſoratum præſentatus à Rege Poloniæ Electore Saxoniæ, Circuli nomine, non ſolum Jure anterioris præſentationis, ſed etiam, quod præſentati Pomerani mora in præſtandis neceſſariis, neque Collegio, neque præſentato Saxonico deberet eſſe impedimento. (b) *Mod.* De Saxoniæ Circulis ſufficit mihi informatio tua,

(b) Nomina horum omnium reperiuntur *in Catalogo ſupra dicto.*

continuabis jam de Circulis reliquis. *Pomp.* Occupavi dicere de Saxonicis, quia de his plurima erant obſervanda, pergam nunc dicere in ordine de ceteris. Principio tenenda tibi eſt diſtinctio Circulorum, in quibus publicorum ſacrorum diverſitas eſt inter ejusdem Circuli Status, ab iis, in quibus una regnat Religio vel Catholica Romana, vel ſecundum Auguſtan. Confeſſionem. Diſtinguuntur ita Circuli in Tabulis *Pacis Weſtphalicæ Artic. V. §. 57.* & *Receſſ. Imper. 1654. §. 169.* Mixtæ Religionis ſunt *Franconicus*, *Rhenenſis*, *Suevicus* & *Weſtphalicus*. Ceteri omnes nullam agnoſcunt mixtūram in materia præſentationis. Catholica Romana Sacra colunt Circuli *Auſtriacus*, *Burgundicus*, *Bavaricus*. Auguſtanam Confeſſionem receperunt ambò Saxonici Circuli, excepto Hildeſienſi Epiſcopatu, in qua regione tamen plurimi ſunt Auguſtanæ Confeſſioni addicti. *Mod.* Quid vero hoc ad præſentationes? *Pomp.* Poſtquam Conſtitutionibus Imperii placuit numerus æqualis non Præſidum modo, ſed & Aſſeſſorum utriusque Religionis, numerus præſentandorum ex Circulis mixtis neceſſario inter utrosque Status erat diviſus, ita ut, cum ante Inſtrum. Pac. & Receſſ. Imper. Anno 1654. ab univerſo Circulo fierent præſentationes, poſtea à Statibus Auguſtan. Confeſſ. ſolis præſentarentur Aſſeſſorum pars dimidia, altera vero à Catholicis. *Mod.* Intelligo itaque præſentationes fieri à congregatis Statibus. *Pomp.* Congregari eos præſentationis ſolius gra-

tia

tia opus non eſt, ſi tamen alias ob cauſas conventus eſſet Circularis, non eſt dubium tunc quoque de præſentatione, ſi caſus exiſtat, facienda deliberationem fore, inter eos inquam, qui hucuſque Jus præſentandi exercuere. *Mod.* Hic vero tu novam mihi figis crucem: Dixeras antea Statuum Circuli eſſe Jus præſentandi, hi vero ſolent eſſe Principes, Comites, Prælati immediati, & urbes Imperiales: Jam vero videris aliquos ab exercitio præſentationis excludere. *Pomp.* Dubium tuum prævidere poteram, cujus etiam reſolutionem dare ſum paratus. Eſt itaque ſecundo loco notandum, quod non ſolum ipſa *Ordinatio Cameralis part. 1. titulo 2. §. 7.* quem hic habes evolutum, Statibus non adimat vel minuat Jus præſentandi, die deſſen im Gebrauch geweſen / ſed etiam *Receſſ. Imper. 1654.* eas controverſias non definiat, imo Statibus, ut inter ſe ea de re tranſigant, relinquat. In Auſtriaco itaque Circulo ſolum Archi-Ducem, qui jam eſt Imperator Auguſtiſſimus, Jus præſentandi exercere, notiſſimum eſt. *Burgundici* Circuli nomine præſentarunt, ſed perrarò, poſſeſſores terrarum, quæ Imperio fuere reliquæ. Ultimus Aſſeſſor erat Anno 1665. nomine *Broquard.* Quievit diu præſentatio nova, forte quod ad ſuſtentationem Cameræ dudum etiam ab iſto Circulo nihil fuerit collatum. Repetendum tamen fore Jus præſentandi ex Actis publicis legimus. *Mod.* Jam memini iſtius Relationis Comitialis, ubi etiam de pecuniis

cuniis vobis ſolvendis ſpes injiciebatur, quam vobis fauſtam optare volo. *Pomp.* Nobis vero ſperare licebit oblationem iſtam fore non ſolum ſeriam, ſed etiam in erogandis nummis facilem, & factâ ſolutione prima, non ceſſaturas ſequentes. *Mod.* Opto ut ſit vobis ſpes certa. *Pomp.* In Bavarico Circulo (animus eſt abſolvere eos, qui inter Catholicos numerantur) exercent Jus præſentandi Directores Circuli, *Elector Bavariæ* & *Archi-Epiſcopus Salisburgenſis* more conſueto conjunctim, excepto caſu, ſi alter Directorum foret impeditus. *Mod.* Nunc ergo de Circulis mixtis notatu digna auſcultabo, nam de Saxonico utroque ſupra diſſeruiſti. *Pomp.* Hi ſunt *Franconicus*, *Suevicus*, *Rhenenſis Superior* & *Weſtphalicus*. In Franconico, qui primus eſt in numero ſex Circulorum (Blumii errorem *in Proceſſu tit. 9. num. 9. 10.* caſtigavit Deckherrus *ad Ordinat. part. 1. pag. 98.*) Directores aſſerunt ſibi Juris præſentandi exercitium, Princeps Epiſcopus Bambergenſis & alter ex Principibus Marggraviis Brandenburgicis, eſt enim inter hos alternatio muneris Directorialis quovis triennio. *Mod.* Fit ne præſentatio ab utriſque Directoribus conjunctim? *Pomp.* Imo ſeparatim, juxta ea, quæ ſupra diſſerui de more Circulorum mixtæ Religionis. Hinc Anno 1670. cum Epiſcopus Bambergenſis ad præſentationem Aſſeſ-
Lit. D. ſoris Auguſtan. Confeſſ. concurrere vellet, contradixit alter Directorum Auguſtanæ Confeſſionis. Itaque caſu vacan-

vacantis Aſſeſſoris exiſtente, literis à Camerali Collegio ſignificatur Directorio Circulari exiſtens ordo præſentationis novæ faciendæ vel Catholici, vel Auguſtanæ Confeſſionis viri. Hi quemadmodum communicato inter ſe & cum aliis ejusdem Circuli & religionis Statibus conſilio procedant, ipſorum relinquitur providentiæ. Illud certum, quod præſentationes fiant à Directorio unoquoque ſeparatim. Eadem quoque eſt ratio & modus præſentandi in *Circulo Suevico*, qui habet Directores Principem Epiſcopum Conſtantienſem & Ducem Würtenbergicum. Eſt tamen inter Status Auguſtanæ Confeſſionis conventio peculiaris & admodum ſingularis de modo præſentandi quam ex documentis à me tibi promiſſis intelliges. *Mod.* De *Rhenenſi Circulo* plura credo eſſe notanda, dudum enim ceſſaſſe has præſentationes relatum memini. **Lit. E.**
Pomp. Si bellicas tempeſtates excipias, cauſa fuit unica diſſenſus de Jure præſentandi inter hujus Circuli Status: Tametſi enim *in Receſſu Imper. 1654. §. 169.* numerus AſſeſſorumCatholicorum à Circulis præſentandorum ſit ſtabilitus, ſcilicet ad rationem numeri quinquagenarii, ipſis tamen Circuli Statibus inter ſe de Jure præſentandi fuit controverſia. Evolve *Receſſ. Imper. §.30. & ſeq. 31. 33.* *

H Hic

* §. 30. *NB. Notandum*: Weilen erſt berührtes Schema Præſentantium, wegen derer in jedem Creyß præſentirenden Particular-Ständen/ vor

Hic nominantur Principes, qui antiquo more præſentationes exercuerunt, ſalvo ceterorum Jure. *Eccleſiaſtici: Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis; Seculares: Palatinus-Simmerenſis, Bipontinus* & *Haſſiaci. Mod.* Ergone hi ſoli fruuntur Jure præ-
Lit. F. ſentandi? *Pomp.* Edita fuit Anno 1665. Deductio fundamentorum pro Jure præſentandi ſingulis Circuli Stati-

vor dieſem Reichs-Schluß nicht allerdings verglichen werden können / als hat daſſelbe / jedoch im Haupt-Werck dem Friedens- und gegenwärtigem Reichs-Schluß ohne Nachtheil / vor dießmal außgeſtellt verbleiben müſſen.

§. 31. Und nachdem bißhero in dem Nieder-Rheiniſch-Weſtphäliſchen Creyß / derer über die Gülichſche Lande obſchwebenden Differentien halber / die vacirende Aſſeſſorats-Stellen hiebevor ohnerſetzt / und ihre obliegende Angebührnüß zu Unterhaltung des Cammer-Gerichts ohnentrichtet verblieben: So ſollen dieſelbe Lande / und des außſchreibenden Fürſten-Amts halber im Streit begriffene Herren Intereſſirten / in längerer Anſtehung Unſerer Kayſerlichen Deciſion, oder des im Frieden-Schluß veranlaſſen gütlichen Vergleichs / ſich ſelbſt vergleichen / oder diejenige ſelbigen Creyßes Stände / denen das Jus præſentandi mitgebühret / mit Vorbehalt eines jeden Rechts / die Præſentation zu Werck richten.

§. 33. In dem Ober-Rheiniſchen Creyß ſollen diejenige Fürſten / welche bißhero die Præſentation verrichtet / benanntlich Worms / Speyer / Straßburg / Pfaltz-Simmern / Zweybrücken und Heſſen / ſelbige ebenmäßig hinfüro verrichten; Jedoch den übrigen Fürſten und Ständen ſelbigen Creyßes / ſo an dem Jure Præſentationis zu participiren vermeynen / ihre Befugnüß zu ſuchen / unbenommen / auch den andern Creyßen in dieſem Paſſu, ſo wenig durch die Verordnung / als obangeführte Urſach / keineswegs præjudicirt ſeyn; Hingegen wollen die Reichs-Städte erſt gedachten Creyßes ſich von ſolchem Jure præſentandi nicht außſchlieſſen laſſen / und beziehen ſich auf die vorgangene Contradictiones.

Digitized by Google

Statibus competente, quod tamen hucuſque ad uſum deductum non fuit, ſed ii quos dixi Principes ſunt in exercitio ſoli, Jure aliorum Statuum ſalvo. Camera Imperialis vero ſequitur poſſeſſionem Lege Imperii publica ſtabilitam. *Mod.* Intellexi ex præcedentibus tuis verbis duplicem eſſe præſentationem Aſſeſſorum vel Auguſtanæ Confeſſ. vel Catholicorum: Ergo Palatinus - Simmerenſis & Bipontinus hodie Catholicis Statibus adnumerandus erit? *Pomp.* Imo meminiſſe debebas, quod mutatio ſacrorum non faciat mutari Schema præſentantium lege publica conſtitutum, cum etiam exiſtere poſſit aliquando ſucceſſor Auguſtanæ Confeſſioni addictus. Ergo Simmerenſis & Bipontina præſentatio non poteſt fieri, quam perſonæ Auguſtanæ Confeſſionis: Et hæc eſt praxis notoria. Soli itaque Epiſcopi præſentant Aſſeſſorem Catholicum. *Mod.* Fiuntne præſentationes conjunctim ab omnibus vel ſeparatim, ordine in Receſſu Imperii expreſſo? Et de Argentinenſi Epiſcopo poſt redactam urbem in poteſtatem Regis Galliæ, quidnam notandum? *Pomp.* Argentinenſis Epiſcopatus Provinciæ trans Rhenum Regi Galliæ ſunt ſubjectæ: Cis Rhenum vero Imperio Germanico, & harum nomine Epiſcopus inter Status Imperii numeratur, votoque fruitur in Conventionibus Imperii poſt Pacem Badenſem Anno 1714. *Lit. G.* concluſam, adeoque & Jure præſentandi, quod durante bello quieverat. De modo præſentandi ad quæſtio-

nem tuam ſciendum eſt, diu fuiſſe rem ſuſpenſam, uſquedum Anno 1711. inter Principes ſeculares fieret conventio, ut initium præſentationis faceret Elector Palatinus nomine Principatus Simmerenſis, deinde ſecundo caſu exiſtente, Princeps Bipontinus, tertio, Domus Haſſiaca. Pacti vero ſunt ſeparatim Principes Landgravii, Caſſelanus & Darmſtadienſis inter ſe de obſervanda alternatione. *Mod.* Eſt ne ſimilis Conventio inter Principes Eccleſiaſticos? *Pomp.* Hucuſque nulla nobis conſtitit. Poſt Receſſ. Imper. An. 1654. præſentarunt Anno 1658. ambo Epiſcopi, Wormatienſis *Jodocum Faber*, Spirenſis *Johannem Melch. Steinhauſen*. Hic Aſſeſſoratum obtinuit Anno 1679. Wormatienſis Epiſcopus (qui tunc erat Elector Moguntinus) præſentavit aliquem cognomine *Menshengen*, is, cum ſpe ſua excidiſſet, ſucceſſor in Epiſcopatu Wormatienſi repetere voluit præſentationem: Hinc orta contradictio à Spirenſi, quæ tamen compoſita fuiſſe dicitur ſequenti modo, ut Epiſcopus Spirenſis præſentationis Jus exerceret, ſi vero præſentatio non ſortiretur effectum, redire deberet ad Wormatienſem. Ab hoc præſentatus fuit & receptus Anno 1715. *Joh. Georgius Dreslerus.* Eo defuncto, & ita caſu præſentationis rurſus exorto, tres fuere præſentati à tribus Dominis Epiſcopis, ex quibus locum Senatorium obtinuit præſentatus à Domino Epiſcopo Argentoratenſi. *Mod.* Dicebas antea de conventione aliqua inter

Lit. H. & I.

ter

ter Wormatienſem & Spirenſem Epiſcopos, quam intelligo de illo tempore. Redit hic mihi dubium, de devoluto Jure præſentandi ad Principem in Ordine Turni ſequentem, ſi præſentatio prioris effectum non habuerit, quod variis ex cauſis fieri poteſt, morte, vel renunciatione præſentati, vel ejusdem rejectione. *Pomp.* Dubii hujus ſolutionem ſupra datam fuiſſe puto. Optimum foret conſilium, ſi Principes præſentantes concordiæ ſtuderent, nam ſi concurrent præſentationes plures ſibi invicem contradicentes, non erit mirum, ſi nullus præſentatorum admitteretur, & obtineret locum alius tempore poſterior. *Mod.* Facile intelligo repetitam ab eodem Principe præſentationem absque difficultate non futuram. Quid enim, ſi præſentationem obtinuiſſet vir, de cujus meritis Dominus præſentans informationem non habuit ſufficientem: talis ſi deinde Illuſtri Collegio Camerali non probaretur, poterit ne de meliori effectu præſentationis novæ certus eſſe Dominus præſentans? An vero ſequentis in ordine Principis Jus quieſcere debet tamdiu, uſque dum præſentatio aliqua ejusdem Principis ad effectum fuerit deducta? *Pomp.* Principum præſentationis Jure gaudentium eſt providere, ne iſtiusmodi difficultates exoriantur; Id quod fiet *primo*, conventionibus claris Collegio Camerali ſignificandis, *deinde*, ne unquam præſentetur ad ſupremi Imperii Judicii Aſſeſſoratum, quem Dominus præſentans ipſe non noverit in doctri-

na, vita, & moribus probatum, evolve *Receſſ. Viſitat. noviſſ. §. 25. in princ.* Non ergo ad nudas commendationes exteras, multo minus per vias alias obliquas. Judices ſunt Aſſeſſores Cameræ in cauſis Electorum, Principum & Statuum Imperii, non exclusâ Nobilitate immediatâ, in prima inſtantia, & in Appellationibus quibuscunque, vel à Judicio Auſtrægali inter Status, vel à Judiciis Statuum, niſi obſtet privilegium. Omni ergo modo curare debent Domini præſentantes, ut eligantur perſonæ digniſſimæ: Neque etiam de Camerali Collegio ſiniſtra opinio gerenda, ſi in deliberatione de præſentati alicujus ad Aſſeſſoratum cooptandi virtutibus neceſſariis, Judicium Collegii, quod ipſi Legibus Imperii eſt tributum, cum opinione vel ſpe Domini præſentantis non ſemper conveniat. Exiſtimandum potius eſt, non ſine cauſis juſtis aliquem præſentatum recuſari. Ceterum evitabitur facile periculum devolutionis, ſi præſentatio fiat non unius tantum ſubjecti, ſed duorum. *Mod.* Nihil adhuc audivi de caſu mortis præſentati vel renunciatione. *Pomp.* Eo caſu, qui à Domino præſentante non poterat prævideri vel caveri, repetitam præſentationem Jure fieri cenſerem. *Mod.* Inter plures Dominos præſentantes ſi exiſtat diſſenſus, putarem expedire, ut unusquisque altero non invito præſentet ſeparatim, quo pacto electio erit Collegii Cameralis. *Pomp.* Eſt omnino electio perſonæ inter plures præſentatos

tatos Collegio tributa, vid. *tit. 5. §. 6.* *Mod.* Videtur tamen *in Receſſ. Imper. 1654. §.* **Gleichwohlen aber** *ꝛc. 27.* lex prior de pluribus præſentandis eſſe abolita. *Pomp.* Sublatam eſſe legem priorem *Ordinat. tit. 5. §. 4. 6.* nemo eſt qui ſtatuat: *Receſſus Imper. dicto loco* ad numerum 50. Aſſeſſorum mox complendum reſpexit. Id quod antecedentia verba ſatis declarant. Mutato vero rerum ſtatu & vigente poſt priora tempora bellica Juſtitiæ curſu, cum etiam ad præſentem numerum XXV. Aſſeſſorum noviſſima lege conſtitutum non deſint viri hoc munere digni, utile foret omnino, ut præſentarentur ad unum locum plures. Sic enim facilius evitabuntur querelæ. Receſſus Imperii unam ſufficere dicit, **wann derſelbe** qualificirt **genug erfunden wird.** Fieri poteſt, ut deſideretur aliquid, quod Domino præſentanti fuit ignotum. Nonne credis, Dominum præſentantem poſtulaturum, ut recipiatur nihilominus præſentatus, quem Collegium, ſi inter plures digniorem inveniſſet, fuiſſet poſtpoſiturum. *Mod.* Quis vero patienter feret ſe poſtponi? Ego periculo tali conſortes præſentationis habere nollem. *Pomp.* Hunc pudorem facit error frequentiſſimus, quod præſentati quidam, vel etiam ipſi præſentantes, vel alii, putent, factâ & receptâ præſentatione, Candidatum jamjam ad Collegium receptum iri, cum tamen magna ſit differentia inter præſentationem, & receptionem. Pudere neminem debet præſenta-

ſentationis, imo honori ducendum eſt, ſi Dominus præſentans eum honore eo fuerit dignatus, isque à Collegio Camerali ad ſpecimen admiſſus: Exantlato ſpecimine, præſentatus officium quod habet, non relinquit, neque offenditur prudens, ſi inter plures locum Aſſeſſorum obtineat unus, cum & ipſi ſit liberum acceptare receptionem denunciatam, vel renunciare; Fieri etiam ſolet electio absque ullo detrimento reliquorum præſentatorum. *Mod.* An ergo, ſi plures præſententur, ad ſpecimina admittuntur omnes? *Pomp.* Omnino, ſi in generali examine, quod eſt de parentibus, de legitimis natalibus, de curſu ſtudiorum, de gradu Academico, vel nobilitate equeſtri, de officio &c. nihil deſideretur; Non equidem diffiteor, ſpecimen ex Actis elaborandum à præſentato, etiam Aſſeſſoribus negotii aliquid facere, & tempus abſumi in auſcultando, interdum per dies aliquot. Adeoque præſentatis pluribus, plus etiam temporis requiri; Cum vero præſentationes non fiant ſingulis menſibus vel annis, neque integrum Collegium recitationi ſpeciminis præſens eſſe debeat, ſed deputati Aſſeſſores numero ſex, negotium hoc non eſt tanti laboris, ut propterea Collegium Camerale pati non malit unius præſentationis conſortes, minimum duos. *Mod.* Plures ſi præſentare Domino cuidam placuerit, faciendum ne hoc eſt literis iisdem, vel diverſis? *Pomp.* Ut comprehendantur præſentati plures in iisdem

dem literis, conſuetudo non modo fert, ſed etiam exiſtimatio ipſius Domini, ne videatur obreptionibus aures præbuiſſe. Quis vero patienter feret præſentationem aliam inſcio ſe factam? Quid mirum, ſi tunc ſint ſuſpectæ iſtiusmodi præſentationes omnes? *Mod.* Jam ſatis hæc capere me puto. Pergamus ad *Circulum Weſtphalicum*, à quo jam dudum nullus Aſſeſſor legitur in Catalogis præſentatus & receptus. *Pomp.* Scilicet hucuſque Status Circuli diſputarunt inter ſe, an penes Directorium (qui ſunt *Epiſcopus Monaſterienſis, Ducesque Juliacenſis & Clivenſis*) eſſet præſentandi jus, an vero Status univerſos. Facta itaque præſentatione à parte una, illico fuit hæc contradicta ſolenniter à parte altera. Neque contradictio inſuper habenda eſt, cum certum ſit, Circuli univerſi eſſe rem præſentationis, quouſque Directores de poſſeſſione ſua cum excluſione Statuum reliquorum, vel de conventione aliqua, certum non fecerint Collegium Camerale. *Mod.* Inter XXV. Aſſeſſores autem haud dubie numerantur etiam præſentandi à Circulo Weſtphalico? *Pomp.* Ita eſt. Quouſque vero inter Status Circuli facta non eſt conventio, defectus duorum in numero conſtituto non poterit imputari Collegio. Hoc obſervare te velim, ne forte in errorem incidas: in Catalogis antiquis Aſſeſſorum ex Circulo Weſtphalico ſolos reperiri Aſſeſſores Catholicæ Religionis, nullos Auguſtanæ Confeſſionis. Ab eo enim tempore

Digitized by Google

quo æqualitas numeri Aſſeſſorum utriusque Religionis per Leges Imperii, cumprimis Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, eſt ſtabilita, nulli ex hoc Circulo Aſſeſſores in Collegio fuerunt. *Mod.* Supereſt unum quod diſcere ex te vellem: Dominus qui præſentavit Aſſeſſorem, ſi mortuus fuerit, officium Aſſeſſoris non ceſſare, neque opus eſſe præſentatione nova, vel ejusdem Aſſeſſoris confirmatione, facile eſt intellectu, cum ab omni nexu ſpeciali ergo Dominum quemvis alium (feudali fortaſſis excepto) liberi ſint omnes Collegio Camerali addicti: Quod ſi vero præſentati Candidati receptionem præverterit mors Domini præſentantis, putarem ego extinctam etiam eſſe præſentationem ipſam? *Pomp.* Non eſt quæſtio hæc ſupervacua. Accipe de ea cogitationes meas. Quod de officio Senatorum ab omni nexu ſpeciali libero ajebas, recte omnino ſentis, nihil autem officit officio obligatio Vaſalli erga Dominum feudi. Non ſunt Aſſeſſores Legati Dominorum præſentantium, à quorum beneplacito pendeat muneris continuatio, licet habeant caracterem repræſentatitium, ut ajunt, certo modo. Memineris tu evolvere quæ allegavit Auctor *Commentationis Syſtematicæ de Jure Camerali ſect. I. §. 1.* ni fallor *pag. 8.* & *Receſſ. Viſitat. noviſſ. § 22.* Ut ergo ad quæſtionem perveniam tuam: Præſentatus Candidatus ſi, priusquam hæc præſentatio à Collegio fuerit acceptata, ſpeciminaque ab ipſo more conſueto præſtita, Dominus præſentans vitam cum mor-

morte commutaverit, nova præſentatione ſibi conſulere debet omnino, prior enim ipſi erit inutilis: Acceptatâ vero præſentatione à Collegio, & ſpeciminibus omni ex parte abſolutis, per mortem præſentantis Domini nominationem factam inutilem non fieri puto, neque tolli Jus præſentato quæſitum, dummodo cetera recte ſeſe habeant, ipſi enim receptionis dilatio, aliis ex cauſis neceſſaria, imputari non poteſt. *Mod.* Notatu digna eſt mihi hæc explicatio, & bona ratione ſuffulta. *Pomp.* Sufficient tibi dicta hucuſque de negotio præſentationum, neque enim quæ ex libris vulgatis peti poſſunt, repetere opus fuit. Tu ipſe, ſi volueris, evolves. *Mod.* Placet. Expecto jam explanationem titulorum ſequentium. Sed audio vocem uxoris meæ, quid rei eſt? *Uxor.* O! Viros, & mei & ventriculi oblitos ſui. Jam dudum vos expectant dapes. *Mod.* Verum dicis chariſſima. Eamus, mi Pomponi, ne querelas commoveamus uxorias ſi jura in pultem conſpiſſentur. Repetemus à prandio confabulationem. Erit nobiſcum *Antonius* noſtrâs, quem ſcio deſiderio tangi te videndi & alloquendi.

Digitized by Google

COLLOQUIUM TERTIUM.

Modeſtinus : Benigna Uxor Modeſtini : Pomponius : Antonius.

B*En.* Gratulor mihi de te hoſpite chariſſimo, Pomponi. Sed defatigatos eſſe vos viros credidiſſem perlongâ atque ſeriâ nimis confabulatione. *Pomp.* Inter colloquendum facile eſt ut prandii horam negligamus. Benignitate jam tua refectio erit tanto gratior. *Ben.* Erubeſcendum vero erit mihi, quod nihil adponere queam expectatione tua dignum. Tempus anguſtum nimis à marito indictum fuit ad curandum tibi prandium. Proinde non eſt ferinum quidpiam vel peregrinum, ſed omne domeſticum. *Pomp.* Conſueta matronarum excuſatio inter amicos veteres non neceſſaria. *Ben.* Patere quæſo, Domine, ut ego jam tecum meas agam fabulas, vereor enim, ne à prandio per maritum meum hoc mihi non liceat. *Pomp.* Placet, dummodo prima ingeſſerim eſurienti ventriculo ſtabilimenta, nemo enim confabulando fit ſatur. *Ben.* Recte facies: Nunquamne te pœnituit à nobis diſceſſiſſe, Domine? Meminiſti enim converſationes noſtrates fuiſſe tibi jucundiſſimas, teque nobis gratiſſimum. *Pomp.* Non pœnituit neque mutati officii neque urbis, nihilominus tamen amicorum amicarum-

rumque dulcis ſemper fuit commemoratio. *Ben.* Contractis amicitiis novis facile langueſcunt veteres. *Pomp.* Sexus veſtri hæc éſt conſuetudo, noſtri vero amicitia longe firmior. *Ben.* Si Diis placet! Urbs veſtra ſuperat fortaſſis noſtram amplitudine & elegantia? *Pomp.* Pro numero civium ſatis foret ampla: Sed pro multitudine advenarum, cumprimis poſt receptum Judicium Camerale, non abundat urbs ædificiis & quidem pluribus ad ſenſum & arbitrium uniuscujusque commodis. Pulchritudo ædificiorum cum publicorum tum privatorum, portarum & platearum, in majoribus urbibus eſt ſpectanda, in quibus perpetuus ex commerciis eſt pecuniarum adfluxus. *Ben.* Putabam ego auri argentique apud vos magnam eſſe affluentiam. *Pomp.* Utinam vero! Et ſi quid adfertur, non omne ad Camerales pertinet, his vero quæ deſtinantur pecuniæ, ad honeſtam ſuſtentationem facere poſſunt, non ad ædificiorum ſumtus. *Mod.* Fortaſſis laudi vobis ducitis, quod pecunioſi non tamen ſitis emaces, neque ædificatores. *Pomp.* Etiam Attici illius divitiæ longe à nobis abſunt. Neque enim pecunioſus ex ſalariis noſtris, qui etiam juxta ſeculi mores decore vivit, fieri poteſt quisquam. *Ben.* Quamobrem vero hæc præ aliis urbs ad ſedem Imperialis Judicii electa fuit? *Pomp.* Quia aliæ Juſtitiæ adminiſtrationi intra mœnia ſua locum facere recuſarunt. *Ben.* Eheu! Quid ais Pomponi? *Mod.* Videtur hæc

res ſuperare captum meæ Benignæ. *Pomp.* Opus ſanè foret ad quæſtionem hanc reſponſione ampliore quàm fieri poteſt in prandio. Nobis interim, ubi ſumus, ut maneamus, expedit. *Ben.* Audire vellem aliquam urbis deſcriptionem. *Pomp.* Sita eſt in extremis Wetteraviæ finibus Weſterwaldiam verſus, (vetuſtioribus nominibus uti hic non licet) ubi confluunt fluvii, *Lanus* & *Dilla*, unà cum rivo *Wez*, qui, credo ab ipſa urbe, quam in parte inferiore perfluit, nomen habet. Eſt enim urbs ad montem declivis, eumque ſitum conditores priſcos elegiſſe puto, ne à fluviis adluentibus, creſcente ſæpius ex montibus vicinis aquarum copia, inundaretur. Ipſa vero urbis poſitio Septentrionem verſus & Occidentem ad ſalubritatem aëris non parum confert. Fuere aliquando artis periti, qui ſumtibus non immodicis reddere volebant Lanum fluvium navigabilem, ſed diſſenſu Dominorum in regionibus vicinis exorto, conſilia fuere irrita. *Mod.* Ita ſæpius utilitatem ſuam homines vel non agnoſcunt, vel alter invidet alteri. In Actis publicis vidi nomen ſcriptum *Wetzflaria*, quod tamen *flando* pronunciari non ſolet. *Pomp.* Verum dicis. Scriptio iſta, ſi conjectura me non fallit, orta eſt à *conflando*, vel à *confluendo*, ob concurſum iſtorum, quos dixi, fluviorum: Eſt autem absque dubio urbs antiquiſſima, quam multo ampliorem fuiſſe olim quam eſt hodie, rudera quæ ſuperſunt, teſtantur. Porro de civium multitudine & fortitudine, vel ferocia, hiſtoriarum adſunt monumenta.

Ben.

Ben. Ad ſerias res delabuntur iſti virorum ſermones: Dic mihi potius de hodierna veſtræ habitationis felicitate. Optavi enim tibi & voveo ſemper optimam. *Pomp.* Felicitatis maxima eſt pars, ſi quis ſorte ſua contentus ſit, & eſſe velit. Nuſpiam vivitur absque incommoditate aliqua. Neque omnium hominum unus idemque erit de locorum vel bonitate vel moleſtiis ſenſus eademque opinio. Proinde, quæ quisque ſuæ voluptatis vel commoditatis gratia fieri optat ſuadetque, ad publicæ rei utilitatem univerſam vel neceſſitatem facere non poſſunt. *Ben.* Philoſopharis nimium Pomponi. Perge de habitatione veſtra dicere ad captum meum. *Pomp.* Proſpectus eſt amœnus verſus aquas, valles, prata & ſylvas vicinas. Ex colle adjacente, in quo rudera veteris Caſtri *Kalsmunt* (hoc erat nomen familiæ Nobilium dudum extinctæ, & ipſius quod incoluerunt caſtri) tota urbs cum fluviorum curſu & vicinis regionibus jucundo viſu ſpectatur: In omnibus, quæ ad victum ſunt neceſſaria, defectum non ſentimus, pretio non levi quidem, ſed tamen hucuſque tolerabili. Piſtorum & lanionum tabernæ in omnibus plateis patent admodum odoriferæ: Et quouſque urbem perambulat ſocietas animalium frugifera, annonæ caritatem non metuimus: Si qui ſunt vel urbis vel ordinis politici defectus, cogitandum eſt, omnia emendari non poſſe, aliqua non aliter quam cum tempore. Conſuetudine multa fiunt tolerabiliora. Nulla eſt tam com-

commoda urbs, quin ſit incommoda, quam quis inhabitat invitus. Lignorum combuſtibilium caritas urbibus multis communis, modum docet conſumtionis. *Ben.* Sic eſt, citius enim, quam ſuccreſcunt ligna, comburuntur. Neque poſſum ego indignari ſatis inutili vel immodicæ conſumtioni lignorum. Nunquam non peccatur ea in re à famulitio. *Pomp.* Eſt etiam cauſa caritatis, quod Domini vicini in officinis ferrariis ingentem lignorum vim conſumi patiantur, præſenti lucro intenti. *Mod.* Quid vero, ſi tandem & ipſi defectum ſenſerint? *Pomp.* Tum demum intelligent bona, cum ea quæ habuerunt in poteſtate, amiſerunt. De futuro autem tempore putant ſollicitos fore poſteros. Frigere tandem oportebit, aut ceſpites quærere comburendos, vel lithantraces. Optimum foret remedium & certiſſimum à parſimonia. Hæc enim niſi adhibeatur in conſilium, nullibi locorum conſtans dabitur lignorum copia ſufficiens & æquo pretio comparanda. *Ben.* Quidnam amplius jucundi apud vos? *Pomp.* Vicinitas civitatum, Gieſenæ, Marpurgi, Braunfelſiæ, Weilburgiæ, Butzbachiæ, Fridbergæ, & inprimis Francofurti ad Mœnum, ad quam intra ſex horarum ſpatium velocibus equis tranſcurrere, qui voluerit, poteſt. *Ben.* Nihil adhuc commemoraſti de hominum conventibus vel ſocietatibus. *Pomp.* Eſt apud nos frequentia hominum permagna: De iis loquor, qui vel ad cauſas ſollicitandas, vel ſtudiorum gratia Wetzflariam confluunt.

Mod.

Mod. Eſtne in urbe Academia? *Pomp.* Non eſt proprie ſic dicta. Eſt tamen, ſi locum intelligas in quo ſunt Doctores, Advocati & Procuratores eruditi, qui ad praxin forenſem viam commonſtrant petentibus. Sollicitatum vero veniunt diverſorum ordinum viri & fœminæ: Et alloquio peregrinorum dandum eſt aliquid temporis, nam & nobis ad locum alium profectis gratiſſimum foret alloquio eorum frui, apud quos aliquid negotii eſt peragendum. *Ben.* Laudes ſint Deo, quod cauſam ſollicitandam non habeam, mihi enim in ea neceſſitate verba defutura putarem. *Pomp.* Ego vero te ſatis crederem eloquentem. Non tamen eſt acceptum omnium, quæ ſollicitatum veniunt fœminarum, alloquium. *Ben.* Quare, obſecro? *Pomp.* Quia neſciunt aliquæ verborum modum tenere, & vel confuſa loquuntur, vel vociferantur & lachrymantur: Dantur etiam Carfaniæ, quæ importunitate ſua inquietare Judices conſuevere. Iſtiusmodi vero ſollicitatio ad deciſionis maturationem nihil facit, neque omnium clamantium cauſa eſt juſta. Facilius audiuntur viri, quia breviori reſponſione ſignificare iis poſſumus quantum eſt opus, & temporis lucrum facere: Modeſtas tamen fœminas ab alloquio arcere non ſolemus, & honorem cuique debitum tribuimus. *Ben.* Ego certiſſime tibi mea ſollicitatione nunquam incommodabo. Nihil adhuc audivi de conventibus recreationis gratia inſtitutis. Tales enim hic loci abs te frequentatos fuiſſe

K ſcio.

ſcio. Et hodie circa veſperam ſpero te mecum interfuturum. I famule percontatum, ubi hodie futura ſit congregatio. *Pomp.* Sunt etiam apud nos conventus ſtatis diebus, ad quos acceſſus datur viris, fœminis, adultis, juvenibus, noſtratibus & peregrinis, non promiſcuo concurſu, ſed quorum genus, dignitas, moresque unicuique congregationi reſpondent. *Ben.* Intelligo eſſe eundem morem qui eſt hic, extrahere ſolemus tempus garriendo, ludendo, & ſi placet, aquam calidam foliis arborum Indicarum vel fabis adfuſam deglutiendo. Faſtidimus enim herbas patrias & fabas domeſticas: meliores eſſe peregrinas docuerunt nos navigationes ad exteras regiones ſuſceptæ. *Pomp.* De guſtu & utilitate diſputare nolo, idem tamen perplacet noſtratibus. Domini Aſſeſſores officii labores congregationibus iſtis præferre conſueverunt: Ego, ſicut Collegæ mei plerique, rarius, neque etiam luſus, ſed converſationis gratia intereſſe ſoleo. *Ben.* Cur non etiam luſus? Factusne es ibi primum ab hac recreatione alienus? *Pomp.* Ludentes videntur mihi non recreari, ſed tanquam rei maximè arduæ intenti eſſe. Cumprimis hæc eſt ſexus veſtri conſuetudo. Adeo patienter & in ſilentio, cum ſpe lucri, per aliquot horas luſui tali navatis operam. Mihi nemo jure ſuccenſet, ſi, quantum alii ad res animi ſibi ſumunt temporum, ego ad ſtudia recolenda mihi egomet ſumam domi. *Ben.* Omnino noſtri gratia congre-

gregationes iſtas & luſus foliolorum pictorum inventos eſſe crediderim, (quis enim teſtudinis inſtar perpetuo domi ſuæ hæreret patienter?) & niſi ludamus, in converſatione plurium aliud agere non ſciremus, niſi forte fila in nodulos cogere, aut imagunculas aſſeri vel linteo adglutiandas forfice reſecare. Non expedit, ſi fœminæ in converſationibus publicis doctæ videri velint. *Pomp.* Quis vero non delectaretur etiam veſtra prudentia & ſcientia, ſi etiam eſſet literaria: *Ben.* Iis in rebus malo auſcultare doctioribus. Epulæ ſolennes apud vos an inſtruuntur frequentius? *Pomp.* Imo perraro. Convivantur amici quandoque frugaliter, idque ad amicitias colendas inprimis facere putamus. Commeſſationes frequentes non ferunt neque tempora neque labores officii, neque etiam rationes œconomicæ. *Ben.* Neque etiam, quod credo, dominarum patientia, cumprimis ſi, quod ego experior, famulitia domeſtica non habetis commoda. *Mod.* St. noli movere hanc anagyrin, cujus, ubi perges, non erit finis neque modus. *Ben.* Quantam vero pecuniæ ſummam in rationes expenſarum refertis quolibet anno? *Pomp.* Videris tu mihi curioſior quam expectaſſem. Intelligis enim facile, non eſſe uniuscujusque eaſdem œconomiæ rationes. Qui familia utitur numeroſiore, majoribus etiam opus habet impenſis quam qui pauciore. Placeat alicui vita ſplendida & ſumtuoſa, alius eam reſpicit tanquam laborum & ſtudiorum impedi-

mentum. *Ben.* Teneo, & ne ægre feras curioſitatem meam rogo. *Mod.* De Attico, cujus antea injecta fuit mentio, commemorat vitæ ejus auctor, quod cum liberaliter domum ſuam omnium ordinum homines invitaverit, non amplius quam terna millia aſſis, h.e. quinquaginta florenorum monetæ noſtræ, peræque in ſingulos menſes expenſum ſumtui ferre ſolitus fuerit. *Pomp.* Non vero addidit auctor ille annonæ pretia, quæ tunc temporis faciliora credo fuiſſe, nihil etiam de ſumtibus neceſſariis ad famulitium, veſtitum, equos, itinera: nihil de aliis impenſis occurrentibus. Quis etiam ad Attici mores & expenſarum modum metietur tempora noſtra, vivendique conſuetudinem? Inter nos, cui eſt familia mediocris, ſumma illa ſufficere poterit in menſes ſingulos pro eſculentis & potulentis, neque tamen ad convivas frequenter vocandos, minime ad impenſas reliquas, quæ, quô ſpendidior eſt œconomia & liberalior, tanto erunt majores. *Ben.* Unum adhuc percontari placet. Noſti enim fœminas eſſe ornatui deditas. Eſtne in urbe veſtra Imperiali veſtitus fœminarum noſtro ſimilis, vel peculiaris? Mira enim audivi de cultu veſtimentorum in civitatibus Imperialibus. *Pomp.* Mirabar equidem, hanc quæſtionem tuam non fuiſſe omnium primam. Doleo tamen, quod neque hac in re curioſitati tuæ reſpondere queam, mundi enim muliebris nunquam fuit cura mea. *Ben.* Narrabis tamen aliqua quæ oculos

fu-

fugere non poſſunt, cetera mea capiet ſolertia. Vidi aliquando imagunculas fœminarum Noricarum, Auguſtanarum, Argentoratenſium, belle ornatarum, quarum aliquas in veſtitu fortaſſis imitantur veſtrates? *Pomp.* Noricarum velamentis, quibus totum fere corpus à capite ad pedes obtegitur, Wetzlarienſes non utuntur. Cupiunt enim & eſſe, & videri ornatæ. Neque etiam Auguſtanarum pilei vel potius umbracula & collaria contubulata arriſere, nam ſe ipſas etiam, quomodo ſint veſtitæ, & an omnia probe aptata, intueri cupiunt. Neque placuere Argentoratenſium comæ plexæ nodatæque in tergum defluentes, amicula perangusta, parte & antica & poſtica in cuſpidem deſinentia, cum tunicis ſtriarum more compoſitis, vix ad talos demiſſis, ſed convenientem ſibi putarunt veſtitum liberiorem. Quæ vero ad ordinem civium non referuntur, iis veſtiendi lex eſt proprium cujusvis arbitrium, adeo ut nihil novæ rei videant in antiis, reticulis, vittis, calanticis, humeralibus, tunicis exterioribus, interioribus, mox ſpiſſis mox rallis, ſupparis, variè diſcriminatis, capillamentis calamiſtratis, calceolis, omnique reliquo mundo, oblitus fere eſſem Cyclades & Syrmata, quod imitari non ſtudeant. Dedi deſcriptionem qualemcunque, quâ, ſi non ſatisfecero tibi, optimum erit conſilium, ut ipſa nos viſas aliquando. *Mod.* Audin' hæc, mea chariſſima? *Ben.* Plura quam intelligere poteram veſtimentorum muliebrium nomina aut uſum. *Mod.* Credo.

Et tamen ſexus veſter utitur quotidie ſimilibus. Hoc ſaltem capies, non ſeculo noſtro demum cœpiſſe fœminarum in veſtium novarum totiusque ornatus veſtri ſchematibus imitandis curioſitas atque ſollicitudo: ſed quod antiquis Græcis & Romanis gentibus, (a) ut nihil dicam de Judaica, (b) fuerit ſolennis. *Pomp.* De novitatibus veſtitus fœminei querelæ fuerunt antiquæ Patris Eccleſiæ *Tertulliani* in libro, quem ſcripſit *de Cultu Fœminarum.* *Ben.* Ex te vero, mi vir, didici aliquando, veſtes muliebres à virilibus priſcis illis non multum fuiſſe diverſas. *Mod.* De parte aliqua forte locutus ſum, (c) non de toto veſtitu, quem diſtingui de-

(a) Hodiernus fœminarum cultus in veſtibus & capillitiis, cuilibet evolventi auctores veteres latinos Philoſophos & Poetas, perſimilis eſſe videbitur ei qui Romanis erat in uſu, mutato ſaltem ſchemate. Ornabantur enim in capite crinibus vel propriis vel adſcititiis varie intortis, in gradus atque annulos calamiſtro digeſtis. Erant in famulitio crinium ſtructores, cosmetæ, (ornatrices) quibus hoc datum erat munus, ut acus & forpices calefacerent & matronis capillamenta concinnarent, centumque flexibus aptos redderent. Ovid. *lib. 1. Amor. 14.* & de *A. A. III, verſ. 133. ſeqq.* Faſtor. *lib. IV. verſ. 309.* Juvenal. *Satyr. 6.* Tertullian. *de Cultu Feminarum cap. 7.* Curandæ etiam & expoliendæ faciei varia fuere inventa, Luxus erat in veſtimentis, variis coloribus auro argentoque textis, vel acu diſtinctis, in cycladibus, & innumeris aliis ornamentorum muliebrium formis. Cui volupe eſt has ſcire, adeat Commentarium quem de Luxu Romanorum ſcripſit eruditus Polonus *Stanislaus Kobierzyki* Lovanii Anno 1628. in eo de ornatu corporis agitur *lib. I. cap. 6. 7. 8. 9. 10.* & *lib. II. cap. 1.*

(b) *Eſaia cap. III. verſ. 18. ſeqq.*

(c) Octavius Ferrarius *in Analectis de re veſtiaria cap. 23.* Pallium deſcribit modumque geſtandi mulierum, additâ figurâ.

debuiſſe, omnibus gentibus natura indidit. Nunc redeo in memoriam, ſermonem nuper fuiſſe de pallio mariti, quod Xantippe circumjecit ſibi, cum aliud non eſſet Socrati quam unum & detritum, more Philoſophorum. *Ben.* Iſtius fœminæ commemorationem eſſe mihi inprimis odioſam, peto, mi vir, ut memineris. *Mod.* Atqui ego de vitiis nihil loquor. Narravi enim tibi, defenſionem uxoris Socraticæ ſuſceptam eſſe à Philoſopho quodam noſtri temporis eximio. *Ben.* Auſcultavi nuper commentatiunculam vernaculo ſermone conſcriptam. Tantum vero abeſt, ut laudes fœminæ iſtius canere voluerit Auctor, ut potius incommodam fuiſſe marito ſuo Philoſopho, negare non ſit auſus. Faceſſat ergo inter nos memoria mulieris, cujus etiam nomine offenduntur fœminæ honeſtæ omnes, neque aliud effectum iri, credo, ab ejus defenſore, cujus de cetero laudo diligentiam & auſculto libenter lectioni, dum aliud quod agant habent manus meæ. *Mod.* Placet, & ſic rediemus facile in gratiam. Licetne vero, Pomponi, ſciſcitari de veſtitu veſtro Senatorio? Noſti enim, quod utamur nos libero cuique, in Aula pariter ac in Collegio. In aliis regionibus habitum virorum peculiarem tempore functionum publicarum vidi. Et Romanos Senatores, quo nomine vos inſigniri heri dixiſti, togatos in Senatu fuiſſe, non eſt tibi ignotum. (d) *Pomp.* Le-

ge

(d) *L. 1. Cod. Theodoſ. lib. 4. de Habitu quo uti oportet intra urbem*, ubi Jac. Gothofr. *in Commentar.*

ge noſtra Camerali prohibita ſunt corporis indumenta, quæ gravitatem muneris quod gerimus, non repræſentant. Veſtitum itaque nigrum inprimis decorum eſſe exiſtimavere veteres, impoſito humeris pallio, non Græcorum more, vel Romanorum, ſed breviori Germanico. (e) Talis olim veſtitus in uſu fuit Collegio Camerali, & utuntur fere ſimili Canonici Eccleſiarum Cathedralium, Profeſſores Academici, nec non urbium Imperialium Senatores. In omnibus Aulis Principum abiit in deſuetudinem. Relatum accepi, neſcio an ex vero, quod in Academiis quibusdam Profeſſores utantur veſtibus diſcoloribus, gladiisque ſint accincti etiam in Collegiis & Diſputationibus publicis, neque conſpiciantur togati, niſi in actibus ſolennibus. In Jenenſi Academia meo tempore indecens fuiſſet Profeſſori occupare cathedram ſine pallio. Non loquor de Jure geſtandi gladium, de quo commentatus eſt Tabor *in Armamentario*, (f) ſed de tempore functionum officii. *Mod.* Exiſtimo dedignari quosdam pallium, ne videantur eſſe nimium Philoſophi, & ne contemtui ſint Auditoribus, qui plerumque gladium lateri alligatum ge-

(e) Pallium antiquorum Græcorum & Romanorum absque dubio formam habuit longiorem ad pedes uſque, & laxiorem, quod patet ex deſcriptionibus *in* Ferrarii *Analectis* & Salmaſii *Annotationibus* ad Tertulliani *Librum de pallio*, ubi etiam de more geſtandi Philoſophis & Græcis politioribus agit, *pag. 65. 89. 114. & 464.* Ferrar. *dicto Tractatu pag. 28. 138.*

(f) *Edit. Operum Lipſ.* Mylii *pag. 451. & ſeq.* ubi de Studioſis.

geſtant, & docenti velut in tranſitu aures præbere ſolent. Vidiſtine, Modeſtine, imagunculam præfixam libro cui titulus: *Acta Philoſophorum*, parte prima? *Pomp.* Vidi & legi ſcriptum lepidiſſimum, à veſtitu vero non faciendum eſt de viri dignitate judicium; neque auctor hoc ſignificare voluit. Decori & antiqui moris obſervans non ideo minus eſt ſapiens: qui eum neglectui habet, ſibi ſoli ſapere videbitur. *Mod.* Perge, quæſo, in deſcriptione veſtitus veſtri forenſis. *Ben.* Etiam mihi hoc erit jucundum auditu, perplacent enim viri bene culti & comti. *Pomp.* Extra functionem officii publicam veſtes ſunt liberæ ad morem ſeculi, pro cujuslibet ea in re arbitrio vel delectamento, parſimonia minore vel majore: ſed in forenſi actu non aliis veſtibus quam nigris & pallio indutum eſſe oportet quemlibet. *Mod.* Nullane ergo in cultu diſtinctio inter vos Dominos & Procuratores? *Pomp.* Olim hæc res non fuit magnæ curæ: placuit autem, aliquot abhinc annos, Collegio univerſo diſtinctio veſtitus in conventibus officii publicis, ea forma quæ eſt in Aula Imperiali, adeo ut appellari poſſit phraſi Tertulliani (g) *veſtis auguſta*. *Ben.* Ex Hiſpania derivata eſſe fertur, cum Imperatores Romani ſociaſſent ſibi Auguſtas Hiſpanas. Memini me audire hoc ex marito qui Viennam tranſiit in itinere. *Pomp.* Imo Germanis noſtris debetur hæc veſtitus forma,

(g) De Pallio *cap. 4. in fine.*

ma, non Hiſpanis. Horum enim amictus à noſtro multum differt. Veteres Germanorum Principum & virorum digniorum icones ſi adſpexeris (de militari chlamyde nullus eſt nobis ſermo) obſervabis veſtitum ad hodiernum, de quo loquimur, multum accedentem. *Ben.* Expecto ergo deſcriptionem. *Pomp.* Amiculum eſt unicum, non formatum ad morem tunicæ quem acceperunt Germani à Gallis, inventione variarum formarum in veſtimentis felicibus, ſed ſimplicius, ad genua non attingens, proinde levius, ita ut plicarum extenſarum in lateribus onus, & globulorum inutilium multitudo non incommodet. Ad ejus proportionem ſunt formatæ manicæ. Ex humeris pendent alæ, quas dignitatis eſſe inſigne veteres cenſuere. Accedit pallium ad crura fere pertingens, non in tergo negligenter ſuſpenſum, ſed utrumque humerum advelans. *Ben.* Ita vero à frigore non eſtis admodum defenſi. *Pomp.* Per plateas non ambulamus ſic amicti, non etiam congregamur ſub dio. Reverſis domum veſtes mutantur, idque fit facili negotio. Utimur veſte lanea, ſerica, denſiore vel teneriore, pro anni tempeſtate. *Ben.* Ex hac deſcriptione non videtur mihi eſſe cultus ſatis elegans. *Pomp.* Eſt omnino ad menſuram corporis temperata veſtis, neque trans crura prodige, neque intra genua inverecunde, nec brachiis parce, nec manibus arcte expedita, (h) quan-

(h) Deſcriptio eſt ex Tertulliano petita *de Pallio cap. 1.*

Digitized by Google

quandoque ſerico filo diſtincta. Laudares tu ipſa ſi cerneres tuis oculis. *Ben.* Videor mihi videre jam viros ita veſtitos & collaribus brevibus ſemicœruleis, qualia gerunt viri Eccleſiaſtici, indutos: crederem etiam barbâ venerabiles. *Pomp.* Collaria ſunt multò longiora, colore cœruleo non tincta, ſed alba, non biſecta, ſed unita lataque, in plicas coacta, ex tela ſubtilis texturæ, vel ex denticulato opere pro lubitu. De barba jocaris mecum, amiciſſima. Alere barbam jam dudum deſuevere Germani, & reliquerunt hoc ornamentum ordini quorundam Monachorum, qui à barba promiſſa accedere ſibi putant venerationem. Deinde Hebrææ gentis mos eſt ut barbæ forma diſtinguantur. *Mod.* Intelligo jam diſtinctionem veſtitus veſtri Senatorii ab eo, quem retinent perſonæ Camerales reliquæ. Hunc eſſe forma communi, nigrum tamen cum pallio in actibus publicis. *Pomp.* Recte tenes, & hæc fuit cauſa præcipua mutati cultus, quod antea, qui faciem non noſſet, neſciret etiam diſcernere Aſſeſſorem à perſonis reliquis in veſtitu æquali. Unusquisque etiam noſtrûm cavet, ne in parte aliqua accedat quidquam cultui huic Senatorio male conveniens atque ad levitatem accedens. *Mod.* Nihil commemoraſti de gladio. Fortaſſis dum legibus eſtis armati, armis etiam decorati eſſe non conſueviſtis? Romanos Senatores veteres armatos in Senatu eſſe non decebat, teſte Cicerone, ſi recte me-

 mini,

mini, in principio Orationis pro Milone. Et Ariſtoteles reprehendit Græcos, pacis tempore geſtantes gladios. (i) *Pomp.* Reſpondebo tibi, ſi deguſtavero prius femur iſtud vervecinum in jure ſalivam mihi movente. *Ben.* Rectiſſime, neque enim voluptatem capio ex iſtis de gladiis ſermonibus. Vides me jam occupatam in diſcindendo. Accipe. *Mod.* Et ego ut hoc vinum in vicinia natum non aſperneris, rogo. Non eſt recens, ſed molle, tulitque vetuſtatem, à nobilioribus enim tranſvectionis ſumtu nos prohibemur. *Pomp.* Ita ſcilicet voluit Deus, ut quælibet patria ſuis gauderet bonis, vel propinquiore via comparandis. Felix qui peregrinarum rerum deſiderio non capitur. *Mod.* Sic vero nulla forent commercia. Florentiſſimæ ſunt provinciæ, urbes, vici, ubi commercia regnant. *Pomp.* Aſſentior. Et quis improbaret frequentiam commerciorum? de privatorum loquor œconomia. Pauci ſunt qui præſentibus bonis vivunt contenti. Commerciorum varietas in rebus voluptuariis, originem habet non à neceſſitate, ſed ab hominum luxu. Habitationis noſtræ commoditas eſt etiam hæc, quod potulenta meliora ex vicinis regionibus comparare poſſimus ad uſum œconomicum. Frugalitatem tamen qui hac in re & aliis non obſervat, ſeram experietur in fundo parſimoniam. Non oportet enim (ſalutare eſt monitum Imperatoris Juſtiniani quod

(i) Tabor *in Armamentario pag. 475. Edit. Operum* Mylii.

Digitized by Google

quod in condiſcipulatu Academico didicimus) ad menſuram expenſarum quærere poſſeſſiones, ſed ex his quæ ſunt, expenſas metiri. (k) *Mod.* Niſi diſpliceret Pomponio noſtro, audire vellem reſponſionem, cujus nobis ſpem fecit, de gladio. *Pomp.* Dummodo liceat etiam pace noſtræ Benignæ. *Ben.* Spero non multa hac de re verba futura, horrorem enim mihi faciunt gladii. *Pomp.* Nihil metuendum eſt à noſtris: decoro enim ſoli inſerviunt, etiam in veſtitu Senatorio: Antiquo tempore ii tantum ex Aſſeſſoribus Cameræ gladium lateri accinctum habebant, pallio humeris impoſito, qui equeſtrem majorum nobilitatem hoc inſigni publice conſpicuam facere volebant. Teſtimonium hujus rei eſt imago quædam vetus totius conſeſſus in die Audientiæ, ligno inciſa Anno 1615. ubi conſpiciuntur icones Aſſeſſorum genere clarorum, qui enſibus prælongis fuere accincti, manubrium ſiniſtra tenentes. Jam dudum vero hæc inter Aſſeſſores diſtinctio ab uſu receſſit, & gladium breviorem veſti Senatoriæ adjungunt omnes. Advocati vero & Procuratores, quando palliatos eſſe hos oportet, à gladiis abſtinere jubentur. (l) *Mod.* Jam recogito ex Tacito, *de Moribus Germanorum*, quod nihil neque publicæ neque privatæ rei niſi armati egerint, ad quem locum memorabilis eſt nota *Lipſii.* Hinc vero

 na-

(k) Elegans eſt locus apud Ciceronem *paradox. VI. cap. 3.*

(l) Vid. *Decret. generale Collegii Anno 1675. 16. 18. 21. Jun. Anno 1678. 29. Jul. §. 3. Anno 1690. 8. Jul.*

natam eſſe credo conſuetudinem, cumprimis perſonarum inſigniorum, ut etiam palliati gladium non deponant. Eodem loco *Tacitus* commemorat, in ipſo concilio juvenes ornari ſcuto frameaque ab aliquo Principum, patre, vel propinquis. Unde absque dubio derivatus eſt mos emancipandi juvenes nobiles in aulis, imo etiam diſcipulos, quando ex ſchola tranſeunt in Academiam. Vidi enim Rectores ſcholarum, qui gladium non geſtant, eum tamen adoleſcentulis dimittendis, ſæpius immaturis, alligare. *Ben.* Satis de gladiis & de veſtimentis. Crederem ferme exſiccata eſſe Pomponii labra confabulando. Diu enim calicem non attigit, præſtantius vinum offerre non poſſum. *Pomp.* Utinam non eſſet unquam minus generoſum. Ecce exhauſtum ſtrenue poculum. *Mod.* Placeat quæſo repetitum, ſitientes enim hic eſſe non volumus. Nobiliora vina accerſere poteſtis vos ſumtibus levioribus, non ſolum itinere multo propiori, ſed etiam per immunitatem qua fruimini à teloniis. *Pomp.* Immunitas à vectigalibus habet utilitatis aliquid. Sunt tamen ærariis Principum præfecti nonnulli, qui & hanc invideant, annuumque quantum œconomicum præſcribi velint & nobis & Omnipotenti, ut quot annis largiatur vitibus benedictionem æqualem, ne ſit opus felicitati annorum dubiæ in ubertate præſente occurrere. Nemo vero noſtrûm mercatus gratia vina advehi jubet. *Mod.* Quanta vero eſt utilitas & jucundi-

cunditas aquarum mineralium in vicinia veſtra, & thermarum? *Pomp.* Etiam hæc non ſpernenda. *Ben.* Fac quæſo, mi vir, ut anno proximo ad aquas iſtas proficiſcamur, & Pomponium noſtrum inviſamus. Multis jam annis mihi in hac urbe hærendum fuit. Aëris mutatio utilis erit utriusque noſtrûm valetudini. Et quis non delectaretur, alias regiones inviſendo, & novas amicitias in converſationibus contrahendo. *Pomp.* Faciatis peto. *Mod.* Fieri poterit, ſi res in arbitrio erit meo. Sed voluntas Principis Domini mei, pro lege mihi eſſe debet. *Pomp.* Pranſi ſumus affatim & confabulati, ſurgamus, gratias agamus. *Antonius.* Ego ſermonum veſtrorum inter prandendum particeps, interpellatione meâ auſus non ſum moleſtus eſſe vobis. Nunc vero ut paucis audire me velis Pomponi, peto. Eſt mihi cognatus Hermogenes, eſt affinis Apollonia. Habent in Camera Imperiali controverſias cum moroſis debitoribus, quas puto tibi eſſe notiſſimas, rogo igitur, ut finem litis quantum in te eſt, promovere velis. *Pomp.* Non ſcio mentionem factam unquam me præſente cauſarum Hermogenis vel Apolloniæ. Quod ſi inpoſterum occurrat aliquid iſtarum rerum, meminero commendationis, Antoni, tuæ. *Ant.* Putabam ego quæ in Camera tractantur, ignota tibi eſſe non poſſe vel debere. Ægre ne feras allocutionem meam, iterum iterumque peto. *Mod.* In errore vulgari Antonium eſſe video, à quo ego

ego ipſe heſterno diſcurſu liberatus ſum, ac ſi Domini Aſſeſſores ſinguli omnium cauſarum, quæ in Camera aguntur, haberent notitiam. *Pomp.* Veniat ergo ad nos Antonius, vel Hermogenes vel Apollonia, & melius informabitur. *Ant.* Licebit tamen Domine brevibus recenſere factum, ut tanto magis recordatio ſubeat. Obligor neceſſitudine ut cauſam commendem, ipſis enim per curas domeſticas commercii ut peregre abſint, non licet. *Pomp.* Si ſit ſcripto comprehenſa narratio, recordabor facilius. Metuendum eſt enim, ne memoria fallat, & fruſtraneam adhibeamus operam, in narrando tu, ego in auſcultando. Et ad cauſarum merita cognoſcenda animum meum hodie non eſſe præparatum fateor. Rectius hæc ex ipſis Actis Judicialibus intelliguntur. *Ant.* Ergo ut ſcripto comprehendatur, curabo. *Pomp.* Per me licebit. Nos interim Modeſtine, revertamur in muſæum & colloquia noſtra repetamus, quarto enim abhinc die diſcedendum mihi eſt. *Ben.* Hui, tam cito? *Pomp.* Absque longiori mora. Et ad convivium in craſtinum diem ſcis nos eſſe invitatos. Valedicturus tamen tibi benigniſſima, ante diſceſſum.

COLLO-

COLLOQUIUM QUARTUM.

Modeſtinus : Pomponius.

MOd. Abitum tuum Pomponi non adeo feſtinatum eſſe credideram : patere ergo ut lucrum faciam temporis, quo converſatione tua frui poſſum. Reliquimus ante meridiem præſentationum materiam, & ſi recte memini, pervenimus ad *Titulum III.* *Pomp.* Sic eſt. Titulus hic de Qualitatibus agit perſonarum & de modo receptionis in Collegium. Multa ea de re dicere jam occupavimus, quorum ſi fueris memor, non opus erit ut eadem repetamus. Non pœnitebit etiam, ſi per alia negotia tibi licuerit, evolviſſe, quæ ad hunc & præcedentes Titulos commentatus eſt Joh. Deckherrus *in Vindiciis*, ſive *Caſtigationibus Operis Blumiani.* Et in adjunctis Notis ad Ordinationis Cameralis titulos ſex priores. Eſt quidem ſtylus Auctoris obſcurior quam placere poſſit legentibus, multa tamen habet notatu digna. *Mod.* Faciam, ſed jam ſtudendum erit brevitati. Ego in chartam conjeci ex verbis tuis potiora. *Pomp.* Ad rubricam Tituli III. generalia ſunt monita duo. Unum, quod non niſi fabricantes fiant fabri : nullum eſt enim officium in cujus ingreſſu diſcendum non ſit per aliquod temporis ſpatium. Alterum, de qualitatibus perſona- *Tit. III.*

ſonarum, quod, antequam in ipſo officio verſentur, falli etiam poſſit judicium vel ſpes concepta, neque ab officio alio dudum antea geſto in Collegiis, firmum ſit protinus argumentum. Fuere viri juvenes in officio priore non diu verſati, qui, tametſi in edito ſpecimine deſideraretur major experientia, felicitate tamen ingenii, præſtantia judicii, diligentia & morum elegantiâ mox præſtiterunt ſe Aſſeſſores digniſſimos. Fuere alii, in quibus à diuturno officio, vel Academico, vel forenſi, ſpes capta fefellit. *Mod.* De perſona Judicis loquitur tituli principium, & ſunt verba ſatis aperta. Memini de Judice nos eſſe collocutos ante meridiem. Verſiculo primo dicitur: Aſſeſſores omnes eſſe debere nativitate legitimos. Ergone excluduntur naturales & legitimati? *Pomp.* Omnino. (a) Et hinc orta eſt quæſtio in examine generali, de legitimis natalibus. Qua in re tamen non exigitur probatio, ſed creditur verbis cujusque præſentati, niſi fama fuerit contraria. *Mod.* Legimus porro *de Vicario Judicis*, quem intelligo eſſe ex Aſſeſſoribus Comitibus vel Baronibus Imperii, qui hodie dicuntur Præſides. *Pomp.* Recte. Hoc vero commemorandum eſt, quod vocabulum **Cammer-Richter-Amts-Verweſer** habeat ſignificationem duplicem, vel *vulgarem*, quæ intelligenda quoties occurrit in Legibus vox **Verweſer**/ quan-

(a) Neque hic valebit argumentum à collatione graduum Academicorum, de qua Itterus *de Honor. Academ. cap. 7. §. 20. ſeq.*

quandocunque Judex Cameræ eſt à loco Judicii abſens: Vel *famoſiorem, cum titulo*, quod accidit Judice demortuo, vel officium mutante, donec ſuccedat novus. Hac de re agit *tit. V. princ.* & *§. 1.* Differentia conſiſtit cumprimis *in Negotiis Pleni*, ſive ad integrum Collegium pertinentibus, & *Diſtributioni Actorum generali.* Conſtituto aliquo à Cæſarea Majeſtate Judice, ſi hic abſit à loco Judicii, directorium ſemper eſt Præſidis præſentis, qui tamen non appellatur ſenſu *famoſiore* **Amts-Verweſer**; Neque is in ſupplicationibus compellatur, ex. gr. cum Archi-Epiſcopus Trevirenſis Judicis officium gereret, permultos annos abſens, nihilominus ad eum omnes Libelli dirigebantur, neque utebatur aliquis Dominorum Præſidum titulo **eines Amts-Verweſers.** Qua de re plura occurrunt dicenda *ad Tit. V. Mod.* De Aſſeſſorum qualitatibus multa hoc paragrapho video expreſſa, in quibus tamen exiſtimo eſſe potiſſimum omnium in verbis: **In Gerichtlichen Sachen und Handlungen geübet / erfahren / und die fürgebrachte rechtliche Sachen zu referiren und zu decidiren geſchickt ſeyn ſolle /** nam quod de Academicis ſtudiis & officio Profeſſorio hic legitur, puto ad ea pertinere tempora, in quibus credebatur, Juriſprudentiæ ſtudia alibi, quam in Academiis, tradi aut diſci non poſſe. *Pomp.* Veriſſime, & recogito dictum veterum: viros in Academico officio celebres, ab eo immediate ad Aſſeſſoratum vo-

M 2 ca-

catos, exiſtimationis gradum inferiorem nactos fuiſſe, niſi deponere mature ſtuduerint mores, geſtus, orationem diſputationesque, Cathedræ magis quam huic ſupremo Judicio convenientes. Idem dicendum erit de iis, qui à poſtulando ad Judicum officium adſpirant, vid. *Receſſ. Viſitat. 1713. §. XXIII.* Advocatorum mores quibus cauſarum patroni aſſuevere, ut defendant facile quod ſpeciem habet aliquam veri, hincque nata contradicendi conſuetudo, his diu hærere ſolent. De gradu Academico non iverim inficias, magnam olim conciliaſſe exiſtimationem doctrinæ, neque tribui debuiſſe niſi digniſſimis; (b) Quamprimum vero collatio graduum, ad lucra muneris Academici (*Facultates* appellantur) referri cœpiſſet, ceſſavit illa ſcrupuloſitas ſeverior, & creati fuere etiam Doctores petentium periculo: Ad hos pertinet locus ille in libello de Ratione Status Pſeudonymi illius *Hippolyti à Lapide*, in Præfatione. (c) *Mod.* Pauci dies præteriere cum evolverem, & ex frequentia nimia Doctorum Juris utriusque (quorum aliqui ne in alterutro

(b) Vid. Joh. Leonh. Lotzbecii *Diſputat. inauguralem de Gradu Doctoris Anno 1687. Jenæ* Præſide P. Müllero JCto *editam, cap. 3.* Itterum *de Honor. Academ. cap. VII.* Boetii Eponis JCti in Academia Duacena *Orationem elegantem de Honorum Academicorum Titulis & Inſignibus, eorumque origine, progreſſu & legitimo uſu.* Prodiit *Duaci Anno 1584.* recuſa cum alia *de Romana Jurisprud. fructibus genuinis. Lipſiæ, Anno 1727.*

(c) In Auctore libri erraſſe multos: Verum Auctorem fuiſſe Boguslaum Philippum Chemnitium, probatum dedit Heumannus *in Conſpectu Reipubl. Literariæ cap. 6. §. 36.*

utro quidem ſunt eruditi) vileſcere cœpit nomen in Aulis, adeo ut plerique titulo etiam inſigniti, eo tamen uti & compellari erubuerint. *Pomp.* Propter abuſum tolli non debuerat uſus, ſed hic ad rectum tramitem revocari. Nemo ſane, quod opinor, doctrinæ teſtimonium publicum dedignabitur, niſi etiam ipſi ſordeat Jurisprudentiæ ſtudium: Si quis inter plures meritus non ſit, hunc pudere debet ſi exiſtimatio non ſequatur, non vero alios digniores. Et quanquam ſit certiſſimum, quod à titulo adquiſito nequaquam (hodie cumprimis) concludendum ſit ad doctrinam; Nihilominus tamen in Imperiali Camera gradui Academico ea permanſit dignitas, ut per Leges Imperii ad officium non admittatur, ſive ſit Aſſeſſorium (exceptis, qui Nobilitate Germana Equeſtri majorum ſunt conſpicui) ſive Advocaturæ, niſi Doctoris vel Licentiati titulo, mediante ſpecimine publico, more antiquo h. e. renunciatione ſolenni, rite impetrato, à Facultate Juridica Academica fuerit inſignitus. (d) Notabis hic, Modeſtine, verba legis *tit. 3. §. 1.* In Rechten gelehrt und gewürdiget. §. 2. Die ſo aus der Ritterſchafft angenommen/ obgleich dieſelbe der Rechten nicht gewürdiget/ ſollen ſie doch gleicher geſtalt auch der Rechten gelehrt/ und Gerichtlicher Sachen geübt und erfahren/ und die Gerichtliche Sachen zu referiren und decidiren denen andern gleich tauglich und geſchickt ſeyn. Factum inde eſt, ut

(d) Vid. Itter. *de Honor. Academ. cap. 2. §. 1. ſeqq. uſque 14. & cap. 14. §. 4.*

viri officiis Aulicis dudum non modo functi, ſed etiam in negotiis exercitati & celebres, ad Aſſeſſoratum adſpirantes, gradum Academicum more conſueto petere non fuerint dedignati. Quod de tituli uſu ajebas, Modeſtine, non ignorare te puto, dignitate majore abſorberi minorem. Hinc ipſi Profeſſores titulo gradus Academici non utuntur, ſed *Juris Conſultorum*. *Mod.* Atque ita ſtudia Jurisprudentiæ ſolidiora non carent neque honoribus neque præmiis. Optimo ergo conſilio illuſtrium familiarum filii in iis operam navant. *Pomp.* Et ego cum voluptate vidi legique ex variis Academiis ſpecimina plurimorum juvenum generis dignitate conſpicuorum. *Mod.* De Advocatis & Procuratoribus dicebas, oportere omnes eſſe Doctores vel Licentiatos, ubinam hoc lege conſtitutum reperitur? *Pomp.* Evolve *part. 1. tit. 30. §. 1.* De Procuratoribus intelligitur hoc facile, quia nullus ad ordinem Procuratorum Cameræ adſciſcitur, niſi prius fuerit ad Advocaturam receptus, & in hac palæſtra ſeſe exercuerit. Si tamen aliquis ex Academia vix redux, tituloque inſignitus, illico peteret ad numerum Advocatorum Cameræ referri, mirari non debet, ſi, ut in ſtudiis matureſcat, moneatur. Adeo non ſufficit teſtimonium publicum ſcientiæ Academicæ, ut, absque elaboratione ſpeciminis officio congruentis & examine ſpeciali, nulli omnino ad officium detur acceſſus. *Mod.* Nihilne intereſt, in

qua-

Digitized by Google

quacunque Academia aliquis gradum fuerit nactus? *Pomp.* In textu exprimuntur tales, quæ ab Imperatoribus vel Regibus Germanorum ſint confirmatæ. In Italia eſſe Academias Cæſareis Privilegiis munitas non eſt dubium. Iſtæ igitur non excluduntur, neque etiam Argentoratenſis hodie Regi Galliæ ſubjecta. (e) Conſules hic utiliter notulas Joh. Deckherri ſupra commendatas. (f) *Mod.* Quinquennale ſtudium non exiſtimo hodie requiri? *Pomp.* Non exigitur amplius poſt *Receſſ. Imper. 1654.* ubi vide §. Sintemal aber ꝛc. *28. in fin.* Solle nicht ſo ſtarck auf das *Studium Juridicum quinquennale* auf teutſchen *Univerſi*täten / ſondern auf die *Quali*täten / Geſchicklichkeit und *Experien*tz geſehen werden. Et ſi quis nunquam in Academia lectiones juridicas audierit, didicerit vero alibi, & ceteris qualitatibus ſit inſtructus, non excludetur. *Mod.* Quod de quinquennio ſtudiorum in Academiis placuit Ordinationis veſtræ conditoribus, credo derivatum eſſe ex Conſtitutione Juſtiniani Imperatoris, quæ eſt Digeſtorum prœmium. *Pomp.* Non eſt dubitandum, hoc, & plura alia in Legibus noſtris deberi Juri Romano. Veteres autem Romani quinquennium incipiebant exacto anno ætatis decimo quarto vel quinto, & finiebant anno viceſimo, quod temporis Academicis ſtudiis ſufficere viſum fuit, neque ultra

(e) Vid. Itter. *de Honor. Academ. cap. 6. & præcipue* §. *45.*
(f) *Tit. 3. num. 69. ſeqq.*

tra hanc ætatem permittebatur juvenibus commorari in Academia. (g) Iſtam vero Conſtitutionem in Codicem repetitæ prælectionis non retulit Juſtinianus, ſed aliam Diocletiani, per quam prohibebatur avocari ſtudioſos Arabes ex Academia Berytenſi, ante annum ætatis vigeſimum quintum. (h) *Mod.* Maturiores ergo fuere in ſtudiis juvenes eo tempore, quam ſolent eſſe hodie. Cum enim permulti ſolidiora ſtudiorum adminicula in gymnaſiis negligentius tractent, iisque relictis, ætatem ſolam ſufficere putent ad auſcultandas lectiones Academicas: mirum non eſt, ſi ſint hodie pauciores, qui anno ætatis decimo quinto ad ſtudia Academica bene ſint præparati. *Pomp.* Si inter veteres aliqui, à teneris bene inſtructi, anno viceſimo in Jurisprudentiæ ſtudio notabiles fecerunt profectus, (optima autem ingenia, etſi pauca, nulla non tulit ætas aut terra) idem contigiſſe omnibus vel plerisque, non eſt credendum. Rationem legis illius Imperatoriæ fuiſſe, ut ad munera patriæ publica mature deducerentur qui literis dabant operam, ex hac ipſa lege & aliis pluribus colligitur. Major pars juvenum tunc temporis in arte militari exercebatur. Hodie, qui vitæ genus literarium eligunt, plures ſunt quam expedit Reipublicæ. Hinc tantus ignorantiæ filiorum numerus, qui per infelicitatem ingenii, vel negligentiam,

(g) *L. 1. Cod. Theodoſ. de Studiis liberal. lib. XIV.* & ad eam Jac. Gothofredus *in Commentario.*

(h) *L. 1. Cod. Qui ætate vel profeſſione ſe excuſant. lib. X. tit. 49.*

tiam, vel, quod ab educationis modo de neceſſitate & utilitate ſtudiorum ſententiam inſuxerint contrariam, nequidem ad horum mediocritatem pervenerunt, proinde aliam vivendi rationem ineunt, quandoque fiunt literarum contemtores. *Mod.* Eandem puto cauſam eſſe innumerabilium perſonarum eccleſiaſtici ordinis, vel liberioris vel adſtrictioris, pro cujuslibet ſenſu. *Pomp.* Nimirum animis iſtorum etiam ſedet opinio generis vitæ, quod Deo ſit acceptiſſimum. Nos vero digredimur nimium à quinquennio. Obſcurus eſt hoc in loco, ſicut alibi, Deckherrus. (i) Tu rem ita tenebis. Pace reddita Germaniæ à bello tricennali, cum Aſſeſſorum Cameræ numerus quinquagenarius placuiſſet in Comitiis ſequentibus Anno 1654. non potuit non eſſe cogitatio, quod de quinquennio ſtudiorum plurimi reſpondere fortaſſis non poſſent, qui tamen officio Aſſeſſorio eſſent digni. Hinc orta eſt illa quam ſupra diximus admonitio. Et eam obſervamus hodie, non ad numerum annorum Academicorum, ſed ad virtutem, ſcientiam & prudentiam præſentati cujusvis reſpicientes. *Mod.* In *§. 3. & 4. hujus tituli* video etiam religionem perſonarum Cameralium eſſe limitatam. *Pomp.* Oportebat hoc fieri, ne cujuscunque ſectæ homo tali officio eximio præfici poſſet. Junge *tit. 5. §. 16.* & alibi. Quod au-

N

(i) *In Vindic.* ad Blum. *tit. VII. num. 37.* & *ad Ordinat. Cam. part. 1. tit. 3. pag. 125. Edit. Wetzlar. Anno 1733.*

autem legis, oppoſitam eſſe Auguſtanæ Confeſſioni Religionem antiquam, ſcies, factum hoc eſſe phraſi tunc temporis, cum controverſiæ Religionis fervверent, cœpta, ſequenti vero tempeſtate, cumprimis poſt Pacem Weſtphalicam, non amplius uſitata norunt: enim jam omnes, Auguſtanæ Confeſſionis capita non eſſe tunc primum inventa. Intelliges etiam, Modeſtine, Ordinationis hujus compoſitæ tempore Anno 1555. nondum fuiſſe in Legibus publicis adhibitum nomen Sacrorum Auguſtanæ Confeſſionis, quæ diſtinctio deinde exorta fuit, & *Artic. VII. Inſtrum. Pacis Weſtphalicæ* Lege Imperii recepta. Hi igitur, qui *Reformati* dicuntur, ſub generali nomine Auguſtanæ Confeſſionis conſortum comprehenſi ſunt *in Inſtrum. Pac. dict. Artic. VII.* ibi: *Qui inter illos Reformati vocantur.* & in Judicio Imperiali pro conſortibus habentur, *Receſſ. Viſitat. 1713. §. 1. in fin.* & *§. 7.* De differentia non eſt hic dicendi locus. *Mod.* An ergo perinde erit, ſi præſentetur ad numerum Aſſeſſorum Auguſtanæ Confeſſionis Lutheranus (ſi uti licet appellatione vulgari) an Reformatus. *Pomp.* Non video cauſam dubitationis. Neque enim ſunt in Collegio Camerali inter Lutheranos & Reformatos rationes peculiares. *Mod.* Quales hic intelligis rationes peculiares, cum de Sacris nulla ſit quæſtio. *Pomp.* Quemadmodum in Imperii Conventibus, Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus illi qui Reformati dicuntur, peculiare

Cor-

Corpus vel Collegium non conſtituunt, ita & in Camera Imperiali nulla eſt differentia in numero & paritate votantium. Monumenta noſtra docent, veniſſe aliquando aliud in mentem Aſſeſſori cuidam ex iis qui Reformati appellari amant, ſed rejectum fuiſſe ejus poſtulatum per Concluſum Pleni 12. Septembris 1679. *Mod.* Cum vero diverſitas Sacrorum magnam quandoque pariat inter homines animorum diviſionem, mirum ſane foret, ſi hæc à vobis penitus eſſet remota? *Pomp.* Ceſſat utique inter prudentes. Et ne quis imprudenter affectui indulgeat, legibus eſt cautum, *§. fin. hujus tituli, Inſtrum. Pac. Artic. V. §. 1. in fin.* juncto *§. 35. Receſſ. Imper. 1654. §. 157. Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 73.* *Mod.* Absque dubio tamen à Statibus præſentantibus eligetur perſona ejusdem cum Domino præſentante religionis? *Pomp.* Ita fieri ſolet, excepto caſu de quo dixi ante meridiem. (k) *Mod.* Pergamus *ad Tit. IV.* quo jubentur Aſſeſſores officium continuare per integrum ſexennium. Hic varia occurrunt ſciſcitanda: Quare ſexennio ſolo, cur non tempore longiori vel breviori? *Pomp.* Ne liceret Aſſeſſoribus officium relinquere pro lubitu: ne etiam fieret intra ſpatium paucorum annorum, utilitatis publicæ erat providere. Nam in multitudine rerum forenſium Cameralium intra triennium diſci nequeunt, quæ non niſi uſu adquiruntur, & experientiâ confirmantur. *Tit. IV.*

N 2 Sexen-

(k) *Colloq. I. pag. 44. ſeq.*

Sexennii terminus fuit in Legiſlatorum arbitrio. Acta publica Imperii referunt, ſuaſiſſe Legiſlatorum aliquos in deliberationibus Comitialibus Anno 1641. ut officia Cameralia fierent perpetua: Aliud vero conſuluiſſe Collegium Anno 1643. ad quæſt. 14. *Mod.* Quomodo vero perpetua? in toto Orbe Chriſtiano nemo eſt qui mutandi officii & loci libertatem non habeat? *Pomp.* Hinc exiſtimavit Collegium, publicæ rei utile non fore. Plura vero ſunt exempla Aſſeſſorum poſt An. 1654. qui officium decem, viginti, & pluribus annis, imo ad vitæ finem uſque continuarunt, quam eorum, qui exacto ſexennio diſceſſerunt. Et, ſi defectus non exiſtit in numerando ſalario, graviſſimas certe oportebit eſſe rationes, ob quas Aſſeſſor hoc officium cum alio commutare mallet. Ex veteri quodam Aſſeſſore, qui annos 44. officii numerabat, memini me audire, quod, qui Aſſeſſorium munus cum alio commutaſſent, brevi poſt tempore vitæ ſuæ viderint finem. *Mod.* Quaſi vero dari non poſſint cauſæ mutandi juſtiſſimæ, & neceſſariæ? *Pomp.* Vera dicis. *Mod.* Et non aliæ potuerint eſſe cauſæ vitæ brevioris? *Pomp.* Sic eſt. Duos ſcio meos olim Collegas qui poſt mutatum officium obierunt in ætate adhuc vigente. Sed mortis præmaturæ fuiſſe credo cauſas alias. *Mod.* Quod Aſſeſſoribus hic injungitur, pertinetne etiam ad Judicem & Præſides? *Pomp.* Ex legibus noſtris non ſcio tempus certum, ad quod obligen-

ligentur. Nihilominus vidi & obſervavi, quod à novo Judice & Præſidibus poſt præſtitum Juramentum, pari modo, uti ab Aſſeſſoribus, dextrâ ad ſceptrum poſitâ more conſueto, ſtipulatio præſtita fuerit de non relinquendo officio intra ſexennium. *Mod.* Cur ergo Princeps Fürſtenbergius breviori tempore diſceſſit? *Pomp.* Factum eſt permiſſu Cæſareæ Majeſtatis. *Mod.* Nullane Aſſeſſoribus dabitur venia diſcedendi maturius? *Pomp.* Poterit dari ex cauſis juſtis *hoc tit. 4. in fine.* Exemplum legitur in Editione Francof. *Corp. Jur. Cam. Anno 1585. Num. 295.* *Mod.* Supra ad ſequentem *Tit. V.* dicenda reliqua reſervaſti. *Tit. V.* Fateor, principium & *§. 1.* hujus tituli mihi planum non eſſe. *Pomp.* Finis hujus Conſtitutionis eſt, ne Judicium eſſet absque capite. Ergo ſi Judex voluerit officium relinquere, denunciabit is conſilium ſuum Aſſeſſoribus, & per hos fiet denunciatio Cæſareæ Majeſtati. *Mod.* Intelligo, quod non prohibeatur Judex ipſe conſilium ſuum aperire Cæſari. Perge ad *§. 1.* *Pomp.* Judici hic datur facultas vel diſceſſuro, vel etiam morituro, ut poſſit nominare Vicarium: Hoc ſi non fecerit, Aſſeſſorum erit Vicarium Judicis conſtituere, uſque ad Cæſaream ratihabitionem, vel aliam voluntatis declarationem. Et talis Vicarius appellatione celebriori dicitur Cammer-Richter-Amts-Verweſer. *Mod.* Suntne ejus rei exempla? *Pomp.* Ne dubites. Dominus Præſes Baro de Ingelheim qui hodie fungi-

tur officio Judicis, binis vicibus à Collegio in Vicarium electus fuit: Prima, Anno 1711. poſt obitum Judicis Principis Naſſovici, qui paucis menſibus huic officio præfuerat. Secunda vero, Anno 1729. defuncto Domino Judice Comite Hohenloico. Prior electio confirmabatur à Vicariis Imperii tempore Interregni, poſterior à Cæſarea Majeſtate. *Mod.* Quæ diſſerueras *ad Tit. III.* de ſignificatione **eines Cammer-Richters-Ambts-Verweſers** alia eximia, alia vulgari, jam ita capio, quod abſente Judice cum venia Collegii, directorium ſit quidem Præſidis ſenioris & præſentis, ſed absque titulo: Exiſtente vero caſu electi vel conſtituti ſolenniter Vicarii, hic ita ſit compellandus, omnia etiam ſcripta judicialia ad ipſum dirigenda: Quod Vicarius eadem agat in dirigendo poteſtate & auctoritate, quâ ipſe Judex. *Pomp.* Recte. Non tamen abſoluta eſt poteſtas & arbitraria, ſed legibus adſtricta, perinde ut ipſius Judicis. *Mod.* In *§. 2. & 3. hujus tituli* de modo agitur, quo Aſſeſſores uti debeant, ſi officium relinquere velint. Fitne denunciatio Collegio ſoli, an etiam Domino qui eum præſentavit? *Pomp.* Unusquisque Aſſeſſorum per ſuſceptum Camerale officium ab omni nexu ſpeciali erga ſuum præſentantem (feudali & reali exceptâ) liberatus eſſe debet *§. 10. hujus tituli.* Hinc formula Juramenti Aſſeſſorum, ipſius etiam Judicis: **Daß ſie an allen Puncten keine andere Pflicht oder Bündnüß verhindern ſolle;** Ergo,

Ergo, ſi conſilium ſuum diſcedendi aperuerit Domino præſentanti, faciet hoc libere, aliquando etiam ratione decori, non vero ex obligatione. Multo minus neceſſitas veniæ impetrandæ à Domino præſentante ipſi incumbet. Literas Collegii nomine hac de re exaratas Anno 1614. tecum communicabo cum ceteris, *Lit. K.* quæ promiſi. *Mod.* Diſceſſurus itaque Aſſeſſor poteritne intra ſemeſtre ſpatium labores ipſi demandatos abſolvere? *Pomp.* Quos paratos habet, proponet, deſtinatos autem, ſi non elaboravit, relinquet aliis, vid. *Tit. 23. §. 7.* Experimur quotidie, majore Actorum judicialium numero Aſſeſſorum ſingulos onerari, quam quisque, etiam diligentiſſimus, plurium annorum ſpatio expedire queat. *Mod.* Videretur mihi expedire potius, ut tempus diſceſſus prorogaretur. Neque putarem Aſſeſſori qui declaravit mutationem officii, neceſſitatem abeundi incumbere, ſi manere vellet tempore longiori. *Pomp.* De breviori quidem in Legibus noſtris conſtitutum aliquid ſcio, *part. 1. tit. 5. §. 3.* & *tit. 23. §. 7.* juncto *Receſſ. Viſitat. Anno 1559. 1. Auguſti §. 21.* De prorogatione vero termini nihil. Ergo ſi adſit ſucceſſor, extendere terminum non licebit. Si non adſit, non tamen magis erit in arbitrio Aſſeſſoris, qui animum abdicandi officium declaravit, an pœnitere velit, vel terminum extendere. Nam iſtiusmodi actus publici abdicationis deliberato animo ſuſcipiuntur, à Collegio acceptantur,

Digitized by Google

tur, & ad Dominum præſentantem perſcribuntur, adeo ut nova potius opus foret præſentatione, quam ut pœnitentiæ locus eſſe queat. Nihilominus ex cauſa juſta, cum venia Collegii Aſſeſſor iſte, tempore aliquo ipſi præfiniendo, officium continuare poterit. *Mod.* Quasnam intelligis cauſas juſtas? *Pomp.* Si multa ſuperſint negotia à diſceſſuro parata & expedienda, neque adſit alius in locum mox ſucceſſurus. *Mod.* Num vero ad hæc negotia expedienda ſemeſtre ſpatium ſufficere non poteſt? *Pomp.* Poſſet omnino, ſi modus eſſet diſtributorum Actorum: ſi nulla alia Acta, quam quæ huic Aſſeſſori fuere diſtributa, maturationem expeditionis urgerent: ſi & ipſe diſceſſurus tanta foret corporis firmitate, ut ſex menſibus continuis in Senatu viva voce, prout moris, dicere poſſet. *Mod.* Non ergo mirum, ſi aliqui litigantium renunciationes tales cum gaudio accipiant, ut tanto propiori fruantur ſpe futuræ expeditionis. *Pomp.* Sunt etiam litigantium aliqui, finem proceſſus non exoptantes. Si multæ ſint cauſæ ab Aſſeſſore diſceſſuro expediendæ, contentos eſſe oportebit, & nos, & ipſum, & alios, ſi fungatur officio quantum fieri poteſt. Quid enim ſi Aſſeſſor vitam cum morte commutaret permultis relationibus elaboratis relictis? *Mod. Verſu 4. 5. 6. hujus tituli* agitur de notitia danda loci vacantis vel vacaturi, Domino præſentanti. Quid vero ſi præſentatio fieri ſoleat ordine ambulatorio ſive per

Tur-

Turnum? *Pomp.* Ubi præſentans eſt unus v. gr. Elector, ad eum literæ exarantur. Ubi vero plures in Circulo, certior redditur Director Circuli unus vel plures. Idem obſervabitur, ſi ordo ſive Turnus præſentandi foret incertus, & tunc Directorii Circularis erit cura, ut moneatur ille ex Statibus Imperii & Circuli quem tangit ordo. Si vero de ordine nulla ſit dubitatio, non errabit Collegium Camerale, ſi literas ſcribat ad eum, penes quem eſt ordo præſentandi: hoc volunt verba textus: Oder an dem ſonſt die Ordnung. Securior tamen eſt via ad Directorium, quia non ubique omni dubio caret Jus præſentandi ambulatorium. *Mod.* Num extitit unquam caſus purificati, ut ajunt, præjudicii, *§. 4. in fin.* ſive exemplum recepti Aſſeſſoris, in contumaciam non factæ in tempore præſentationis? Neque enim ſolent Principes ejusmodi occaſiones negligere, ubi alicui gratia exhiberi poteſt absque incommodo: Neque etiam defuturos, credo, Candidatos præſentationem ambientes, vel etiam cauſas prorogandi terminum fatalem ſex menſium. Tandem, non credo Collegium Camerale adeo feſtinanter eſſe progreſſurum, cum interim portio ſalarii defuncti adcreſcat reliquis. Hæc ſi minus recte intellexero, certiora abs te libenter ſum accepturus. *Pomp.* Multa tu mihi hic in medium profers, ad quæ diſtincta opus eſt reſponſione. Faciam pro anguſtia temporis breviſſime, loquor enim tibi ſapienti, ut ex

O his,

his, quæ dicturus ſum, reliqua colligere queas. In loco hoc Ordinationis, quod etiam tenendum de pluribus aliis, Status rei Cameralis à Legislatore, ſi finis conſideretur, optime conceptus, tum demum ad praxin deducetur, ſi etiam media ad finem neceſſaria concordent. Quid enim, ſi in erogandis pecuniis, quibus Judicium Camerale ſuſtentari debet, mora committeretur? Quantitas pecuniarum ad ſuſtentandum hoc Judicium requiſita ſemper ita fuit anguſtata, ut ſi caſus aliquis moræ exiſtat in ſolutione, neceſſario in ſalariis oriatur defectus. Tantum abeſt, ut abundet aliquid in ærario Camerali, ſi etiam omnia exactiſſime ſolverentur, ut potius ob expenſas extraordinarias, quæ occurrunt & evitari nequeunt, (v. gr. profectio Quæſtoris ad urbem Francofurtenſem binis in Anno vicibus ad recipiendos tempore conſueto nummos) non poſſit non deficere aliquid in ordinariis, quia ad iſtiusmodi extraordinarios caſus computatio præſtandarum ſolutionum der Cammer-Zieler facta non fuit. Alio exemplo hoc intelliges. Defuncto vel Præſide vel Aſſeſſore in officio, (de Judice nihil hac in parte eſt Lege Imperii conſtitutum, confer *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 43. in fin.*) debetur ejus viduæ & liberis ultra demeritum pars quarta ſalarii annui, quod vocant das Gnaden- ſive Sterb-Quartal, *part. 1. Ordinat. Cam. tit. 57. §. 1.* Hujus Summæ ex ærario ſolvendæ in computatione mediorum non fuit ratio habita. Caſus

ſus hic licet non exiſtat quolibet anno; exoriri tamen poſſet. Mitto plura de expenſis extraordinariis dicere. Non ſunt ita comparata animi ſolventium, in quibusdam Imperii Circulis, ut absque frequenti monitione, & ſumtibus propriis pecunias ad locum Judicii deferri velint: Si quis etiam depoſuerit quantum debitum in urbe Auguſtana, Noribergenſi, Lipſienſi, Francofurtenſi, ſatisfeciſſe tunc obligationi ſuæ, & jure quidem, credit. Nemo vero negotia aliorum, ad quæ conſtitutus non eſt, facile gerit gratis. Non eſt itaque mirum, ſi præjudicium *dicti §. 4. & 21. hoc tit.* nunquam fuerit purificatum; (ſit venia voci forenſi) cum iſtud aureum ſeculum ſolutionis perennis & accuratæ adhuc expectetur. Quod vero de adcreſcente præſentibus portione ſalarii, quo fruebatur defunctus, ajebas, ſi intelligis, quod accedat ærario, non male judicas, ita ut minore numero dividentium exiſtente, major ſit quotiens, non in quanto ſalarii, ſed in ſumma ad rationem ſalarii dividenda. Erras autem, ſi putas ad *Neglecta mortuorum* referri portionem defuncti, ita ut adcreſcat præſentium ſalario ordinario, uſque dum novus Aſſeſſor impleverit numerum. Meminiſſe oportet, dudum abolita eſſe *Neglecta mortuorum*, relicto ſolum jure Neglectorum, quæ detrahuntur Aſſeſſoribus in officio ultra tempus lege conceſſum abſentibus, vid. *Receſſ. Imper. 1654. §. 12. 13.* De his neglectis locus erit differendi *ad Tit. VIII.* Cum ergo antiquo

Digitized by Google

tempore Neglecta mortuorum in uſu fuiſſe non ſit dubium, facile colligitur, quod Collegium Camerale in ſupplendo numero Aſſeſſorum ad locum defunctorum, vel abdicantium officium, non egerit olim feſtinanter. Hodie tamen, ſi aliquis Aſſeſſorum diſceſſerit, vel obierit, recipietur alius, quouſque ſalariorum ſolutio non deficiat in parte majore ita, ut nequidem ſufficiat ad numerum præſentem, vid. *Decret. Viſitat. 1711.* & *Receſſ. Anno 1713. §. 22.* *Mod.* Teneo omnia. Sequentes *verſiculi 7. 8. 9.* ad curam Dominorum præſentantium magis pertinere exiſtimo, quam ad Collegium Cameræ. *Pomp.* Rectiſſime, & utinam qualitas præſentandi Dominis nunquam eſſet ignota, ut tanto magis fieret præſentatio juxta verba Legis: Nicht aus Gunſt / Practic, oder ſonſt promovirt / ſondern allein die Tauglichkeit oder Geſchicklichkeit der Perſon angeſehen werden / & quæ ſequuntur monita ſalutaria, juncto *Receſſu Viſitat. Noviſſ. §. 25. princ.* *Mod.* Quod legitur *§. 9.* de præſentandis perſonis, quorum patria eſt in eodem Circulo vel vicino: eſtne hic ſenſus, ut excludi debeant extranei? *Pomp.* Vidimus ſæpius præſentatos ex aliis Regionibus, neque tamen excluſos. Quis enim ſponſor erit præſentatum ex aliqua regione de hujus moribus talem habere notitiam, ut ejus dictis audientes eſſe debeant Aſſeſſores reliqui, abſque inquiſitione ulteriore. Magnæ ſunt & diverſæ in ſingulis Circulis Provinciæ, unaquæque ſuis

regi-

Digitized by Google

regitur legibus & moribus, quarum exacta notitia à tali præſentato expectari non poteſt. Imo vero Conſuetudines Regionum ſunt probandæ. Uſu & obſervatione in ipſo officio hæc rectius, & à veteranis Aſſeſſoribus addiſcuntur, confer. *Receſſ. Viſitat. Noviſſ.* *§. 15.* ubi hæc lex aliquo modo eſt limitata. *Mod.* Ad *§. 10.* recordor ex ſupra dictis, exceptum eſſe nexum Vaſallagii & realem quemcunque. *Pomp.* Bene. Qui ergo præſentat, eo ipſo eum, quamprimum in numerum Aſſeſſorum eſt receptus, ab obligatione obſequii perſonali liberat, vid. *hujus tit. 5. §. 10.* In examine generali præſentati hæc etiam fit quæſtio, quali nexu ſit obſtrictus, & quomodo liberari poſſit. Et ante actum introductionis receptus ad Aſſeſſoratum de dimiſſione à priori officio interrogatur. *Mod.* Scio tamen geſſiſſe Judices Cameræ & Præſides munus Conſiliariorum Imperatoris intimorum. *Pomp.* Diſtinctio te non fugiet, credo, inter Miniſtros actu ipſo hoc munus obeuntes, & eos qui honoris & dignitatis gratia eo inſigniuntur titulo. Deinde Imperator Auguſtiſſimus conſtituens Judicem, etiamſi hic ſpeciali jurejurando Miniſtri Cæſarei fuerit obſtrictus, non velle cenſebitur, ut in officio Camerali quidquam fiat, & legi & juramento Camerali adverſum. Evolve *Tit. 7.* verba *§. 3.* **Es ſoll auch Cammer-Richter und Beyſitzer am rechtlichen Erkennen / wie auch alle dem wie ob- und hernach gemeldt / keine andere Pflicht verbinden oder irren.**

Neque hoc fieri à Judice, paſſurum eſſet Collegium. *Mod. §. 11. 16. 17.* rurſus electio dignioris ex pluribus præſentatis Collegio injungitur, crederem antiquo tempore juvenes etiam admiſſos, ut contra abuſum lege hac fuerit opus. Porro quod in electione reſpiciendum ſit, ſonderlich / daß der ſo erkohren / in Univerſitäten geleſen / oder zum wenigſten fünff Jahr in Rechten ſtudiret / dazu in Gerichtlichen Händeln advociret und practiciret habe. Ea de re monitis tuis præcedentibus ad *tit. 3.* ſatisfacturum fuit mihi. *Pomp.* Si bene meminiſti: præcipua ſunt hic verba: auch ſonſt wie obgemeldt qualificiret ſeye / quacunque ratione fuerit inſtructus. Non immerito tamen habetur ratio, an aliquis in Collegio tali officium geſſerit, in quo forenſia negotia tractari ſolent, ipſeque in iis fuerit exercitatus. *Mod. Verſiculi 12. 13. 14. 15.* agunt de ſpecimine à præſentato quolibet (exceptis hodie Dominis Præſidibus) elaborando, & examine ſpeciali. Hic ſcire cuperem ſingula, quæ in hoc negotio ſunt moris. Etſi enim ego ad officium Aſſeſſoratus non adſpirem, juvat tamen harum rerum habere notitiam. *Pomp.* Non invidebo tibi & explicabo quæ jam memoriæ ſuccurrunt: (1.) Duplex dicitur examen præſentatorum, generale & ſpeciale. Illud eſt de nomine, natalibus & parentibus, ſtudiis, gradu Academico vel Nobilitate, officio, & ſimilia. Hoc vero abſolvitur elaboratione ſpeciminis, factaque relatione, præſente Domino Judi-

Judice; & Aſſeſſoribus delegatis, quibus etiam incubit tentamine quodam explorare præſentati diligentiam, peritiam, & dexteritatem. (2.) Si occurrunt dubia ex generali examine, non admittitur ad ſpeciale, niſi iis remotis. Admiſſo ad ſpecimina præſentato, quod fit per Concluſum Pleni, moris eſt, ut à Domino Judice vel Directore, qui alius non poteſt eſſe, quam Præſes, ſinguli Aſſeſſores honorentur quæſtione, quæ quisque Acta habeat pro ſpecimine elaborando idonea. Non enim petuntur Acta promiſcue ex Archivo, cum Dominus Judex ſcire non poſſit eorum merita, & an ſint ad tale ſpecimen apta, id vero ſcire poſſunt Referentes. Error foret graviſſimus, ſi Judex non conſultis Aſſeſſoribus vellet præſentato tradere Acta qualiacunque. Hoc vero cavendum, ne Aſſeſſor Acta molis majoris aut difficultatis, priusquam ipſe ea legerit, excerpſerit, & de cauſa ſatis ſit informatus, imo ad relationem paratus, præſentato tradi ſuadeat, ut hic præambulo defungatur labore. Tali enim modo & ipſe Referens in errorem incidere poſſet, & præſentatus plus juſto onerari, contra *Receſſ. Viſitat. Noviſſ.* ubi vide *§. 22. verſ.* Es ſolle auch ꝛc. Porro non ſunt idonea ad ſpecimen Acta, quæ per Sententiam ſunt definita. Neque etiam Acta in quibus continentur Reſponſa JCtorum & Facti Species partium ſtudio elaboratæ, *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 25.* Tandem non eligere oportebit ea, quorum inſtat relatio,

latio, & maturatione opus habet deciſio, ne per moram ſpeciminis Juſtitiæ curſus impediatur. Traduntur Acta præſentato non aliter, quam præſente uno ex numero Lectorum ſive Archivariorum Cameræ. Non licet diſcedere præſentato ex loco Judicii, pernoctando alibi, niſi expectato Collegii conſenſu, & relictâ cuſtodia Actorum Lectori. Tempus ſpeciminis abſolvendi non præfigitur, ſed unicuique ſpatium relinquitur, quantum ſumſerit ſibi ipſi Candidatus. Qui prior eſt paratus, ei etiam primo dabitur tempus recitandi. Procraſtinatio tamen laboris non neceſſaria commendationi non foret præſentato. Neque etiam nimia & miſera diligentia. Recitato ſpecimine, Candidatus opus ſuum tradit præſenti Domino Judici vel Præſidi, diſcedit etiam ex conclavi, & in alio expectat, mox revocatur ad quæſtiones nonnullas examinandus. Eſtque hæc oppoſitio non contentioſa, ſed confeſſu hoc digna. Inter recitandum enim non interpellatur præſentatus. Et ut ſciant omnes materiam, de quo agatur, ejusque κρινόμενον, Referens ordinarius brevem introductionem ſcripto comprehenſam præparare ſolet. Idem eſt deinde ſpeciminis cenſor, quem Dominus Judex, Acta ab ipſo propoſita ſpecimini deſtinando, elegit. Cenſura non fit illico in Pleno, ſed intercedente intervallo temporis, pro re nata brevi & longiore, plerumque vero, non niſi agatur de receptione. *Mod.* Audivi tamen per plures annos expectandum

eſſe

Digitized by Google

eſſe interdum præſentato antequam in numerum Aſſeſſorum recipiatur. Nonne tunc obliti erunt Domini ſpeciminis, & Candidati in referendo dexteritatis? Eſtne aliquis tempore recitationis, qui ſingulas quæſtiones & reſponſiones annotet, videtur hoc juberi *in §. 15. Pomp.* Proto-Notarius ſemper præſens eſt in Pleno Collegii, quando agitur de electione vel receptione præſentati, non vero cum ſpecimen recitatur & Candidatus examinatur. Quæſtiones, objectiones & reſponſiones, quæ non fiunt more ſcholaſtico, hic annotari non poſſunt. Quis enim hoc faceret? & quæ temporis jactura, ſi Proto-Notario omnia in calamum dictanda forent? *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 25. in fine* nihil aliud præcipit quam ipſa Ordinatio *dicto §. 15.* Conſultum itaque crediderim fore, ut poſt recitatum ſpecimen cenſura mox ſuſciperetur, ſuſpenſa interim quæſtione electionis & receptionis, ne, ſi vel Referenti & cenſori ordinario, vel aliis qui Candidatum auſcultarunt, aliquid humani contigerit, totum negotium cenſuræ & receptionis moleſtius ſit, quam in principio. Ex ſolo enim conſcripto ſpecimine de qualitatibus viri non ſatis firmum fieri puto judicium. Non admodum vetus eſt hiſtoria, præſentatum aliquem, poſt 25. annos demum prolato ſpecimine ad cenſuram, vocatum ad Aſſeſſoratum, Collegio tunc ignotum, poſtea in officio, quod vix biennio geſſit, inutilem deprehenſum fuiſſe. Sed rever-

P ten-

tendum eſt à digreſſiuncula. In ipſa cenſura, potiſſima commendatio eſt à Candidati in tractandis Actis diligentia & judicio. Errant qui notitiam exactam ſtyli Cameralis omnique numero abſolutum laborem deſiderant. In ipſo officio multa diſcenda ſupereſſe putarem. Deinde Candidati cujusvis vita moresque, quos in variis occaſionibus experiri ſolemus, non parum momenti conferunt quando agitur de electione vel receptione. Eruditio ſumma absque morum commendatione, aditum non dabit ad hanc ſpartam. *Mod.* In fine *§.15.* ſuperfluum puto eſſe, quod de relatione nova unius ejusdemque præſentati legitur. *Pomp.* Qui novam habet præſentationem, idem eſt quidem homo, ſed non idem præſentatus. Caſus hi ſunt rari, cumprimis pro hodierno Collegii ſtatu. Si extiterit, qui ſpecimen novum elaborandum obtulerit, admittetur, vel etiam pro re nata ſufficiet præcedens. Diverſus eſt caſus novi ſpeciminis, ſi per Actorum & materiæ difficultatem extraordinariam non ſucceſſiſſet primum: (talia autem Acta deſtinari præſentatis vetitum eſt per *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 22.*) vel alius defectus novo labore emendandus, animadverteretur. *Mod.* Novum ſpecimen non injunctum iri reor, ſi plures ſint ad unum locum præſentati ex quibus eligi poſſit unus qui ſe præſtitiſſet digniorem. *Pomp.* Rem acu tetigiſti. Inter plures enim præſentatos ei, cujus ſpecimen deprehenſum eſt vitioſum in capitibus majoris

ris momenti, elaboratio novi imponi non poterit abſque ſtudio manifeſto, cum detrimento exiſtimationis præſentati alterius. Alius etiam eſt caſus ſpeciminis repetendi, ſi receptione præſentati dilata diu, is interim per alia officia, aut valetudinem, labores forenſes depoſuiſſe videatur, ut novo ſpecimine de viribus integris certum poſſit eſſe Collegium. Officium enim Aſſeſſorium non petendum eſt, ut fruatur aliquis ſalario cum arbitraria in laborando libertate & commoditate, ſed requirit induſtriam ſingularem, valetudinem in ingreſſu officii firmam, laborumque patientiam. Abſtineret rectius à petitione hujus muneris, qui ſe ipſum non ſatis firmum eſſe agnoſcit & quietem hic quærit. Hæc quæ de ſuſpenſa diu cenſura ſpeciminum diſſerui, nec non de prærogativa præſentationis prioris *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 22.* ſtatuta ſunt, tunc penitus ceſſabunt, quando numerus Aſſeſſorum lege definitus mediis ſuſtentationis præſentibus complebitur non ſolum, ſed & conſervabitur. *Mod.* Sequentes *§§. 16. & 17.* ex præcedentibus planos eſſe video. Quæ vero cauſa, quod *§. 18.* ſola fratrum habeatur ratio, ut prohibeatur eſſe Aſſeſſor, cujus frater eſt Procurator & vice verſa? *Pomp.* Abſque dubio eadem erit ratio patris & filii. Ad ulteriores vero gradus collateralium nimia foret extenſio. Obſervabis autem, non prohiberi fratres ab officio Aſſeſſorátus, cum hi in Senatibus facile disjungi queant & debeant.

Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 34. Deinde cum in monitis Dominorum Viſitatorum etiam ulteriores gradus collateralium & affinium ſint expreſſi, in quibus cautio eſſet adhibenda, ne Aſſeſſor interſit cauſis quibus patrocinatur Advocatus vel Procurator cognatione vel affinitate proxima junctus. Hac ratione limitari videtur prohibitio præſentis *§. 18.* *Mod.* Exiſtimo in cauſis dijudicandis majorem fore amorem Juſtitiæ quam cognationis. Raro etiam tanta inter cognatos vel affines intercedit familiaritas, ut etiam ad res officii contribuere queat. Amiciores poſſunt eſſe alii quam cognati. *Pomp.* Ita eſt, ſed præſtat legem ſequi. *Mod.* Quis vero cavebit ne alius ſit, quam qui nomen ſuum profitetur, Advocatus vel Procurator? *Pomp.* Procurator alius eſſe non poteſt. Advocati veri nomen ſi reticeatur, re detecta, gravis ſolet infligi mulcta. *Mod.* Vereor ne iſta ſpecies recuſationis legalis alium pariat abuſum, ut, quacunque etiam à litigantibus (ſunt enim nonnulli mirum in modum ſuſpicioſi) adverſus Aſſeſſorum aliquem ſuſceptâ ſuſpicione imaginaria, hic excludi poſſit à deliberatione per ſolam electionem vel Procuratoris vel Advocati. Quis enim prohibebit in una cauſa plures adſciſcere ſibi Advocatos? *Pomp.* Crederem ferme, te melius eſſe edoctum hac in arte quam ſumus nos ipſi. Ejusmodi calliditates ſi obſerventur, non deerit modus calumnias coercendi. Omnes paragraphi in hoc titulo ſequen-

ſequentes à *19. uſque ad finem* ulteriori explanatione opus non habent. Et quod de vitanda votorum ambiguitate in deliberationibus de receptione Aſſeſſorum legitur *§. 19.* & *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 19.* in fine repetitur, neceſſarium erat cavere, ne primarium Syſtematis Cameralis negotium difficultatibus & dubiis implicaretur. *Mod.* Intelligo. Pergamus ad *Tit. VI.* *Tit. VI.*
Extititne unquam caſus Aſſeſſoris juxta hanc legem, cui παράλληλος eſt *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. Articulus 26.* ab officio remoti? *Pomp.* Nullum ejus rei novi exemplum, neque ex antiquis monumentis, quæ ſuperſunt, obſervavi. Tres fuere olim Spiræ Præſides, quibus ob neglectam officii dignitatem conſilium deponendi munus à Collegio datum fuiſſe legitur. Quæ Viſitationis tempore acta ſunt, tu ipſe, Modeſtine, ſcies, cum ad vos tranſmiſſæ fuerint Relationes & Protocolla à Domino Subdelegato veſtrate. *Mod.* Operam dabo evolutioni, ſi erit ab aliis occupationibus vacatio. Video interim non niſi per gradus ad remotionem deveniri in Camera. *Pomp.* Admonitiones præcedere debere, officii requirit dignitas. Neque etiam ea in re procedit Dominus Judex absque conſilio Aſſeſſorum, imo Collegii univerſi. Vidiſtine unquam librum cui titulus: *Quinquertium Camerale? Mod.* Poſſideo ipſe, ſed à lectione receſſi, quia tota materia & ſtylus mihi videbatur difficilior. *Pomp.* Attentione opus habet liber & meditatione, vide

 ibi

ibi *quaſt. 2. & 3.* & in ipſa lege *hoc titulo §. 2.* dicitur: Es ſey der fürnehmſte Haupt-Articul, worauf das *Tit. VII* gantze Gericht fundiret und begründet. *Mod. Tit. VII.* liberos eſſe vult Judicem & Aſſeſſores ab omni impedimento officii, nec non ut abſtineant à mercatura & conſiliis in Judiciis aliis. *Pomp.* Conjungendus hic eſt *titulus 19. §. 8.* & *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 45.* Mercatura certè indecora foret huic officio. Patrocinia vero cauſarum externarum impedirent non ſolum labores ordinarios, ſed etiam ſuſpicioni daret occaſionem. Si vero in priore officio Aſſeſſor aliquis cauſæ cujusdam habuerit curam, ab eâdem, ubi ad Cameram deducta fuerit, rectè abſtinebit: ſi vero ad alterum Judicium Imperiale, non prohibitum eſſe exiſtimo, ut quid facto opus, priori ſuo Domino ſuppeditare non liceat. *Mod.* Quid vero ſi Aſſeſſor libris ſcribendis daret operam, poteritne hoc referri inter prohibita? *Pomp.* Si lucubrationibus privatis officium ſuum poſtponeret Aſſeſſor, admonitione foret dignus. Ea vero intelligenda non eſt ſtudiorum liberalium in legibus noſtris limitatio abſurda, ut, quod animorum eſt alimentum & ipſius officii ſuſtentaculum, interdictum eſſe cenſeatur. Laudabili potius opera functos eſſe Aſſeſſores priſcæ ætatis novimus, qui abſque laborum ordinariorum detrimento Jurisprudentiæ forenſis ſcientiam Obſervationibus & Deciſionibus editis exornare ſtuduerunt, quorum monumenta ſunt celeberrima.

rima. *Mod.* Pervenimus ad *Tit. VIII.* in quo omnia *Tit VIII*
videntur mihi ex uſu magis quam ex verbis Ordinationis diſcenda. Hoc capio, quod ſalutari conſilio conſtitutum ſit in principio tituli, ne cuiquam liceat pro lubitu à Judicio abeſſe, ſive ſit Judex ſive Aſſeſſor. Quod autem ab univerſo Collegio ſit impetranda venia, juxta verba: **Noch ohne Vorwiſſen und Rath der Beyſitzer erlaubt werden /** ea in re differentiam obſervo Collegii Cameralis Syſtematis ab aliis, ubi ſolius Præſidis vel Directoris eſt concedere veniam. *Pomp.* Eſt utique Collegii noſtri diverſa conſtitutio ab aliis Collegiis in Imperio, in quibus liberior eſt poteſtas Præſidis vel Directoris, multumque ejus arbitrio relictum. In Camerali enim officium Judicis & Directoris lege publica Imperii eſt limitatum. In Judicis perſona vel Directoris ſita non eſt poteſtas ſuprema judiciaria, ſed hæc eſt totius Collegii, cujus conſilio Judex in officio ſuo, pauciſſimis rebus exceptis, uti tenetur. Hinc etiam ipſe Judex ab Aſſeſſoribus ſive Collegio veniam diſcedendi petere debet. *Mod. Paragraphis 1. & 13.* tempus legitur definitum, quo liceat eſſe abſentem Judici, *decem*, Præſidibus vero & Aſſeſſoribus *ſex* ſeptimanis, quod tempus ab ingreſſu cujusque in officium computandum, juxta notam *§. 1.* ſubjectam ex *Memoriali Viſitat. de Anno 1559.* Memini tamen ex noviſſimis Relationibus Comitialibus longioris temporis Judici conceſſi in Concluſo Comitiali.

tiali. *Pomp.* Ita eſt. *Quatuor ſeptimanæ* tempore feriarum additæ ſunt prioribus *decem.* *Mod.* Si ab univerſo Collegio venia petenda, quare *§. 12.* hujus tituli licet ad tempus breve petere à ſolo Judice, vel etiam Præſide? *Pomp.* Hæc vocatur *venia præſidialis*, etiamſi concedatur ab ipſo Judice. Originem habet appellatio, vel quod aliquis Dominorum Judicum priſtinorum Spirenſium difficilius adiri & compellari potuerit, vel, quod in majori numero Aſſeſſorum ſufficerit petere veniam à Præſide. Hodie retenta eſt quidem appellatio; ſed conceditur talis venia, ſi præſens eſt Judex, ab ipſo ſemper, non ſalutato Præſide. Multum vero intereſt, an aliquis longiori tempore, quam trium dierum, abeſſe velit, ut venia pleni ſit opus. Nam res judiciariæ omnes Aſſeſſoribus inprimis ſunt cognitæ, cujusnam præſentia ad aliam aliamve cauſam ſit neceſſaria, quænam opus habeat maturatione, vel quæ moram ferre poſſit. Occurrunt etiam negotia ad univerſum Collegium ſpectantia, quæ omnium membrorum requirunt conſenſum. *Mod.* Poteritne ergo venia petita denegari? *Pomp.* Omnino, ſi exiſtant caſus negotiorum quæ moram non ferunt, ut profectio Aſſeſſoris in aliud tempus (niſi exiſtat caſus cum inevitabili neceſſitate conjunctus) ſit differenda. Neque enim absque conſideratione & temporis & negotiorum quæ ſunt ſub incude, profectionem aliquam, cumprimis animi gratia inſtituturus

turus

Digitized by Google

turus eſt quisquam. *Mod.* Putarem hæc omnia brevius certis regulis poſſe comprehendi. *Pomp.* Habemus nos etiam *Canones* ex legibus compoſitos Anno 1573. 19. Decembris & ſequentibus Annis 1582. 19. Julii 1687. 26. Auguſti, & poſtea ſæpius in Pleno prælectos atque probatos. *Mod.* Licetne eorum habere exemplum? *Pomp.* Res non eſt arcana, ſed dudum in Petri Denaiſii Aſſeſſoris quondam meritiſſimi *Compendio Juris Cameralis*, aliis tamen verbis expoſita, ſub rubrica: *Commeatus Judicis & Aſſeſſorum.* Necnon in libello Anno 1599. à Friderico Ortlebio edito, cui titulus: *Methodi Juris Cameræ Imperialis.* Qui libellus noviſſimæ editioni Argentoratenſi Compendii Denaiſii adjunctus eſt mutato auctoris nomine, ubi in principio *de Abſentia Judicis & Aſſeſſorum*, & porro ſub rubrica *Neglectorum* pleraque continentur. Ego tamen non invidebo tibi *Canones* noſtros ſupra dictos, quos cum aliis rebus in itinere penes me habere ſoleo, & licebit, ſi placuerit, manu tua deſcribere:

(1.) *Si quis Dominorum veniam ultra tres dies (de quibus infra) impetrare voluerit, eam non à Domino Judice vel Præſidentibus, ſed in pleno Senatu petat.*

(2.) *Si quis ex Dominis obtineat veniam vel in pleno Senatu, vel à Domino Judice, vel à Dominis Præſidentibus, teneatur inpoſterum (ad quascunque diſputationes præcavendas) non ſolum*

diem abitus, antequam abeat, ſed etiam diem reditus ſtatim poſtquam fuerit reverſus, Deputatis per ſchedulam propria manu ſcriptam aut ſubſcriptam, nequaquam vero per famulum oretenus tantum (uti hactenus plerumque factum eſt) indicare, idque ſtricte ab omnibus, ſive ad tres duntaxat dies, ſive ulterior venia fuerit obtenta, obſervetur, ſi quis contra fecerit, is ſtatim ab illa die, qua veniam obtinuit, uſque ad diem, qua reditum ſuum alteri ex Deputatis indicabit per ſchedulam, negligat, nec ulla exceptio vel excuſatio à Deputatis hac ex parte recipiatur, ſed gravatus ſimpliciter ad Dominum Judicem & Collegium remittatur.

(3.) *Qui ab uno ex Dominis Præſidentibus veniam ad tres dies petere voluerit, id in præſentia duorum Aſſeſſorum ſub pœna neglectorum facere tenebitur, ita tamen, ut diſpenſatio admittatur, ſi forte periculum eſſet in mora, & copia Aſſeſſorum facile haberi non poſſit.*

(4.) *Si quis mane diſceſſerit, & ultra tres dies & duas noctes à Domino Judice, vel à Dominis Præſidentibus pro diſcretione conceſſas abfuerit, tunc per reliquum tempus negligat, perinde ut poſt tempus ordinationis.*

(5) *Ille autem, qui poſt meridiem diſceſſerit, nec redierit impeditus niſi quarto die, & à meridie ejuſdem*

Digitized by Google

dem Senatui interfuerit, nihil negligat, ut ſic tres dies integras & tres noctes, nec plures habeat.

(6.) *Prædictum tempus trium dierum computetur juxta Viſitationis Receſſum de Anno 1575. inter ſex ſeptimanas in Ordinatione permiſſas, ſi* Juridicæ fuerint, *quod 22. Novembris Anno 1589. in ordinaria deputatione eſt limitatum, ut quoad DD. Præſides, etiamſi Juridicæ fuerint, locum non habeat.*

(7.) *Quotiescunque aliquis ultra tempus conceſſum abſuerit, attamen in die abitus mane interfuerit Senatui, ſed à meridie,* (*ſcil. abierit*) *non pro dimidia parte diei negligat: & ſimiliter, ſi in die reditus à meridie primum compareat.*

(8.) *Si quis poſt obtentam veniam à Collegio adhuc per octo dies manſerit in loco, is ſub pœna Neglectorum de novo impetret veniam, niſi certum tempus diſceſſus ab initio indicaverit, interim tamen ſin in Senatum non venerit, negligat.*

(9.) *Tempus Ordinationis vel quodcunque aliud obtentum non extendatur ultra diem ultimam Aprilis ita quod abſentes ſtatim negligant à prima Maji.*

(10.) *Qui à Dominis Viſitatoribus veniam obtinebunt, id Collegio ſignificare, & ab eo quoque veniam impetrare teneantur, & ſi ultra tempus, vel Ordinationis vel minus ibi conceſſum abfuerint,*

rint, perinde negligant, ac ſi à Collegio impetraſſent.

(II.) *Si quis Dominorum nulla prorſus venia ſupra dicto modo petita & obtenta abiverit, is non ſolum per integrum tempus, quo abfuerit, & alteri ex Deputatis ſchedulam ſui reditus exhibuerit, negligat, ſed inſuper etiam pœna loco tantundem de ſuo ſalario, idque quouſque in Senatu comparuerit, ſimiliter inter neglecta diſtribuendum amittat.*

Mod. Video hic omnia diſtincte præcepta, tu vero Domine, ſcies, an eadem cum ſollicitudine obſerventur omnia. *Pomp.* Hac de re dubitare noli, intereſt enim publicæ rei, ut nihil ejus rei negligatur. *Mod.* Intelligo tempus conceſſum Domino Judici, Præſidibus & Aſſeſſoribus, abſque detrimento ſalarii ordinarii. *Pomp.* Recte. Neque enim officium damnoſum eſſe debet. Et licet non omnes habeant cauſas abſentiæ æquales, cum alius veniam petat ad inviſendas terras ſuas alibi ſitas, alius valetudinis gratia, alius denique recreationis cauſa, (quotusquisque enim in hac urbe toto anno hærere & lucubrationibus operam dare poſſet patienter?) æqualis tamen debuit eſſe omnium Aſſeſſorum conditio, licet non deſint, qui tempore conceſſo non utantur. Et quo quis uno anno uſus non eſt, non licet transferre reſiduum tempus in alium, ſed beneficium iſtius anni habetur pro derelicto.

Digitized by Google

licto. *Mod.* Abſens ergo ultra tempus permiſſum pro rata hujus temporis carebit ſalarii parte. *Pomp.* Hoc expreſse ſtatuitur *§. 3. h. tit.* & de Judicis neglectis *§. 14.* quæ ærario communi adcreſcere in priori noſtra converſatione dixi: Præſidum vero & Aſſeſſorum neglecta inter eos, excluſo Judice, diſtribuuntur, *Receſſ. Viſit. 1713. §. 43.* non omnes tamen, ſed ii ſoli qui actu frequentarunt Senatum, portiuncula hac acceſſoria fruuntur, quæ plerumque eſt adeo parva (quilibet enim rationem temporis habere ſolet, & caſus neglectorum, quantum fieri poteſt, cavere) ut ad œconomicas rationes aliquid momenti adferre nequeat. *Mod.* Intellexi ex *§. 4. hujus tituli*, & ex Canonibus veſtris, eſſe peculiarem curam deputatorum quorundam Aſſeſſorum, ut tempus abſentiæ uniuscujusque annotetur, quibus etiam diſceſſus & reditus in ſcriptis ſit ſignificandus. *Pomp.* Hoc ita fieri oportuit ad varias difficultates præcavendas. Sunt autem iidem Deputati, qui ſunt conſtituti ad ærarium, de quibus vide *tit. 54. §. 12.* & conceſſum eſt his Deputatis emolumentum aliquod ex ſumma neglectorum annuorum percipiendum, viginti quatuor Imperialium, quod cum augmento ſalarii eadem proportione crevit, neque tamen, ſi aliquo anno ex neglecta parte ſalarii non impleatur, debet referri reſiduum ad annos ſequentes. Ab iis ergo Dominis in diſtributione ſalarii calculus neglectorum non abſque ſtudio peculiari fieri

ſolet, deducto emolumento, diſtribuendorum inter eos, qui illo tempore frequentarunt Senatum, æqualiter. *Mod.* Quam facile vero erit, ut aliquis in profectione occupatas non meminerit ſchedulæ Deputato mittendæ. *Pomp.* Hoc faciet is periculo ſuo. Neque enim licet ſchedulam in itinere fortaſſis ſcriptam Deputatis tranſmittere, ſed fieri debet ante diſceſſum. Novimus Aſſeſſorem, qui accepta venia ad urbem Colonienſem profectus, cum ibi recordaretur, vel monitus eſſet, per ſchedulam ex itinere tranſmiſſam à periculo neglectorum non liberatum iri, illico Colonia Wetzlariam fuit reverſus, & repetita venia ſumtibus novis itineris oblivionem ſuam luit. *Mod.* Niſi moleſtus fuero, ſciſcitari adhuc vellem rationem Canonis noni, ubi dicitur tempus veniæ non eſſe extendendum ultra diem ultimum menſis Aprilis. Putabam tempus computari à principio officii cujuscunque membri Collegii. *Pomp.* Accipe hujus rei explicationem. Alium habemus in Collegio Camerali annum communem, alium vero annum qui dicitur *Neglectorum* ſive *abſentiæ.* Annus abſentiæ antiquiſſimo tempore initium habuit Calendis Maji, finemque die ultima Aprilis anni proxime ſequentis. Ratio ejus rei certa ob antiquitatem dari nequit, conjectura tamen eſt, quod ea anni tempeſtate commodiſſimum fuerit membris Collegii iſto tempore ad profectiones ſuſcipiendas. Recentiori vero ætate 23. Maji 1729. viſum fuit unanimi con-

Digitized by Google

conſenſu Collegii (neque enim ea de re eſt aliquid lege conſtitutum, ſed tempus arbitrio Collegii relictum) initium anni abſentiæ mutare, ita ut loco Calendarum Maji, hodie ſit principium computationis à Calendis Septembris. *Mod.* Hæc vero eſt magna differentia, non temporis quidem lege conceſſi, ſed tempeſtatis, quæ videbatur eſſe commodior menſe Majo. *Pomp.* Non puto. Nam autumnalis aër eſt optimus, & viæ publicæ ab æſtate ſicciores. Maxima vero commoditas erat *in conjunctione temporis. Mod.* Quam mihi hic indicas temporis conjunctionem? *Pomp.* Cum unicuique membro Collegii quolibet anno permiſſum ſit uti tempore ſex ſeptimanarum, poterit is, ſi expedire rebus privatis viſum fuerit, integro anno beneficio hoc carere, ſequenti vero eo uti, incipiendo medio menſe Julii, uſque ad finem Auguſti, tum vero continuando veniam ſex ſeptimanarum à prima Septembris uſque ad medium Octobrem, ſicque conjungendo tempus utrumque, annorum duorum. Hæc conjunctio iis Dominis cumprimis utilis eſſe poteſt, qui in procul diſſitis regionibus bona habent patrimonialia, vel negotia privata peragenda. Juxta priorem ſtylum vero conjunctio temporis fieri non poterat, niſi inciperetur medio menſe Martio uſque ad finem Aprilis, quod eſt tempus anni inſaluberrimum. *Mod.* Ex Canone octavo colligo non eſſe neceſſarium ut aliquis ſtatim poſt impetratam veniam ex urbe diſcedere

dere debeat, ſed tempus diſceſſus intra octo dies indicare poſſit. Ergo poſt octiduum nova petitione veniæ erit opus? *Pomp.* Recte quæris, neque ego ſcio adeo rigidos Dominos, qui non conſenſuri ſint, octiduum ad aliquot dies prolongari. Dies dico, non ſeptimanas. *Mod.* Nondum explicaſti Domine an veniæ petitio eum in finem ſit facienda ut petenti etiam ex urbe ſit abeundum. Quid enim ſi ad domeſtica negotia tempus lege conceſſum vel brevius impendere & interim cum venia Collegii pro abſente haberi velit? *Pomp.* Non eſt inutilis quæſtio. Videbatur ſane, nihil decedere publicæ rei ſive quis peregre abſit, ſive domeſticarum rerum curam gerat tempore lege conceſſo. Placuit tamen, quæſtione iſta nuperrime publice propoſitâ, concluſo Collegii, ſententia contraria; quia leges Camerales id præcipue volunt ut quam minime Aſſeſſores abſint à Senatu. Et, ſi venia iſta uti liceret ad manendum domi, plures forte una vice iſta facultate eſſent uſuri, contra *Ordinat. Camer. part. 1. tit. 8. §. 7.* & *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 42.* Nullus etiam fortaſſis de tempore ſex ſeptimanarum quidquam remiſſurus eſſet, ſi liceret hoc tempore domi manere, & ſumtibus profectionis parcere. Porro, cùm varia ſint hominum ingenia, poſſet aliquis præſens, mox emanſurus, negotia incipere, vel cœptis per alios intereſſe, eaque pro lubitu, abrumpere. Satius ergo putarunt Domini, ut qui cum venia pleni abſens eſſe vel-

vellet, ex urbe etiam excederet. *Mod.* Scire vellem adhuc an tempus ſex ſeptimanarum computetur à die ſuſcepti officii, an vero indiſtinctè à prima die Septembris? *Pomp.* Videretur quidem juſta computatio prior quam dicis: cum vero, quod ſupra dixi, unusquisque Aſſeſſorum ab initio officii per ſemeſtre ſpatium in urbe commorari debeat: Poterit is quidem, ſi neceſſitas exigat, intra hoc tempus veniam abeundi impetrare, ſed neceſſe erit, ut ſemeſtre ſpatium, quod vocant *Reſidentiam*, inchoet deinde à novo. Hi tamen caſus raro accidunt, neque ego memini exempli, ſed quod à veteribus audivi tecum communico. *Mod.* Canones de abſentia *§. 5. & 7.* mentionem faciunt de frequentatione Senatus horis poſtmeridianis: Putabam ego, & ex Colloquio primo dixeram, congregari Senatum horis tantum matutinis? *Pomp.* Quod de frequentatione poſtmeridiana dicitur, intelligendum de Audientiis publicis olim quotidianis, quibus poſt Annum 1654. ad tres ſaltem dies reductis, vid. *Decretum generale Anno 1660. 19. Januarii, Receſſ. Viſitat. 1713. §. 55.* & *Commentat. Syſtemat. ſect. II. §. 1.* ceſſavit hoc laborum domeſticorum grave impedimentum, cui in præcedentibus legibus, *Tit. XXI. §. 7. 8.* nondum ſatis erat proſpectum. Ergo quod de neglecto ſalario dimidiæ diei ſancitum in Canonibus legitur, uſu abolitum eſt, ſed qui tempore matutino, quo frequentare Senatum ſole-

mus, abſens fuit, habetur pro abſente die tota. *Mod.* Curioſæ ſunt hæ obſervationes, quas ex libris intelligere non potuiſſem. Peto ut mihi explices de tempore veniæ breviori *trium dierum*, an præciſe tertio die ſit revertendum, vel an venia hæc etiam ultra triduum absque periculo neglectorum extendi poſſit. *Pomp.* Sciendum eſt tibi *Primò:* triduum intelligi quidem de diebus naturalibus, ſed tamen haberi rationem frequentationis Senatus, ita, ut ſi quis horis matutinis Senatui interfuerit, frui poſſit dimidia parte diei, quæ eſt reliqua, & incipiet tempus abſentiæ ab initio diei ſequentis. Viciſſim, ſi aliquis nocturno itinere ante horam octavam matutinam redierit, & Senatui interfuerit, (in die feriata horæ antemeridianæ obſervantur nihilominus) habebitur hoc die inter præſentes, ſecus vero, ſi reverſus fuerit poſt horas Senatus ordinarias, (ſive ſit feriata dies, ſive juridica, nihil intereſt) & tunc per integram diem numerabitur inter abſentes: *Secùndò*, tempus veniæ brevioris curriculo trium dierum naturalium includitur quidem, non vero eo rigore, ut ſi quis fortuito caſu in termino redire impediatur, pœnam in canone noſtro ultimo contra abſentem absque venia ſtatutam, incurrat. Tres dies ulteriores negliget in ſimplo, omne tempus longius à ſeptimo die computandum, in duplo, quod eſt pœnæ loco juxta Concluſum Pleni Anno 1716. 5. Octobr. *Mod.* Ergone omnis venia Præſidialis computatur ad tem-

tempus in lege conceſſum? *Pomp.* Hic differentiam aliquam ſtatuit *Canon ſextus* inter Dominos Præſides & Aſſeſſores, ſcilicet ut tempore feriarum Aſſeſſoribus venia præſidialis ad tempus Ordinationis ſex ſeptimanarum non referatur, fiat vero hoc extra ferias: Dominis Præſidibus autem, ſive ſint feriæ, ſive non, venia præſidialis ab imputatione ſit libera. *Mod.* Ubi vero hoc habetur in textu Ordinationis? *Pomp.* Fontes deſignantur in Canone ſexto, uſuque notorio & adprobato eſt receptum. Neque enim abſentia Dominorum Præſidum tantum impedimenti adfert rebus judiciariis, quam ſi unus ex Aſſeſſoribus in Senatu deficiat. Deinde cautum eſt *§. 12. hujus tituli*, quod venia præſidialis non debeat concedi quam duabus in anno vicibus. Hoc enim ſi fieret, poſſet aliquis venia præſidiali abuti, & quandocunque libuerit, per triduum & ultra abeſſe, quod foret contra Legislatorum mentem & cum neglectione officii conjunctum. Porro *§. 7.* cavetur, ne Aſſeſſores majore numero eodem tempore diſcedant. Poſſunt enim exiſtere negotia etiam in feriis, quæ dicuntur caniculares, ubi plurium Aſſeſſorum conſilio eſſet opus. *Mod.* Multa hic didici, quæ ex verbis *tit. 8.* intelligere non potuiſſem. *Pomp.* Eſt etiam aliud caput neglectorum, ſi præſens aliquis in urbe, Senatui tamen horis conſuetis non interſit absque venia, qua de re agitur *tit. 21. §. 3.* Erat aliud olim uſitatum in *Neglectis mortuorum;*

Sed hoc caput deſiit per *Receſſ. Imper. 1654. §. 13.* *Mod.* Nondum expoſuiſti modum ſive ſolennia petendæ veniæ. *Pomp.* Nihil hic eſt admodum dignum notatu: Petitur venia viva voce, non in ſcriptis. In breviori tempore veniæ nulla eſt ſolennitas. Ad longius tempus petitur in Pleno, convocatis Aſſeſſoribus omnibus, & conſeſſu ſolenni inſtituto, præſente etiam atque annotante Protonotario. Si tamen feriarum tempore neceſſaria incidat profectio, & abiturus obtuliſſet petitionem veniæ ſolennem apud Dominum Judicem, Domini Præſides & Aſſeſſores vero, ſi aliis negotiis occupati, ejus rei gratia à congregatione ſeſe excuſaverint, oblatio & compellatio profecturi Aſſeſſoris facta, pro ſufficiente acceptabitur & in protocollo Pleni notabitur. Dominus Judex ſolus eam habet prærogativam, ut veniam à Collegio petiturus, faciat in ſolio ſedens, cauſamque profectionis denunciet. Domini Præſides vero & Aſſeſſores veniam petituri ex loco conſeſſus ſurgunt, ſiſtentes ſe ad ſolium, & præmiſſa compellatione honorifica non ſolum ad Dominum Judicem, vel hoc abſente, ad alterum Præſidem qui ſolium protinus occupat, ſed etiam ad univerſum Collegium directa, phraſi: Gebietende Herren/ per Concluſum Pleni Anno 1663. 20. Januarii, & 1671. 13. Decembris, à nullo omittenda, cauſam atque tempus abitus necnon abſentiæ, conjunctionem temporis, ſi quis ea uti velit, alleget, addita clauſula:

Sal-

Salva Ordinatione atque veniæ extenſione, ob caſus non prævisos, utili: Oratione abſoluta, exire ſolet ex conſeſſu, & ante fores expectare, dum de concedenda venia deliberatur. Hoc tamen plerumque breviſſimo abſolvitur tempore, & revocatur illico, qui petiit, ſæpius in ipſo exitu. Feriarum longiorum tempore plures ex Collegio veniam petere ſolent, & in eodem conſeſſu, ne opus ſit ſingulorum gratia Collegium convocari, & tunc alius poſt alium petentes, exeuntes, redeuntes, mutua ſibi in concedendo veniam faciunt officia. *Mod.* Unum mihi ſupereſt ſciſcitandum: An neceſſe ſit juxta *§. 2. hujus tituli* Dominum Judicem compellare pro venia impetranda domi ſuæ? *Pomp.* Exiſtimo ſufficere ut fiat in Senatu ſi eſt præſens. Allocutio tamen peculiaris in ædibus ſecundum circumſtantias erit neceſſaria. *Mod.* Puto me hunc titulum intellexiſſe ſatis, ut ſi ipſe membrum eſſem Collegii veſtri, omnia rite obſervare queam. Pergamus, ſi placet, ad *Tit. IX.* Hic lego verba notatu digniſſima: **Daß die Beyſitzer vom Römiſchen Kayſer/ auch Churfürſten / Fürſten und Ständen des Heiligen Römiſchen Reichs an ſolche hohe Juſtitzen verordnet / und an deren ſtatt ſitzen/ Kayſerliche Majeſtät und dieſes Orts** tanquam perpetui togati Senatores in Senatu Imperii repræſentiren. *Pomp.* Deſumta ſunt hæc verba ex Receſſibus Viſitationis in margine allegatis. Neque tamen Aſſeſſores ſinguli caractere repræſentati- *Tit. IX.*

tio præſentantium gloriantur, ſed tribuitur Jus repræſentationis Collegio univerſo, vid. *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 22. circa finem.* *Mod.* Totus hic titulus agit de decoro cultus externi, cujus, ſi recte conjicio, Aſſeſſores priſci non ſatis fuerunt obſervantes. *Pomp.* Si, quod ſemper neceſſarium, conferantur fontes, ex quibus Ordinatio nova, vulgo Conceptum, quo utimur, eſt compoſita, ita, ut ais, fuit verum, confer *Receſſ. Viſitat. de Anno 1556. §. 13. 1570. §. 1. 1574. 1600. §. 10. 11.* *Mod.* Curioſitas foret conſpicere imaginem veſtitus in hoc loco deſcripti tanquam non decori. Fortaſſis fuit nimium diſcolor, in partibus inferioribus. *Pomp.* Ego non vidi. De veſtibus ſatis confabulati ſumus hodie in prandio. Sentio Modeſtine apropinquare crepuſculum, finienda erit ergo converſatio hodierna. Scio, in prandio craſtino apud Mœcenatem nos unâ futuros. Patere ut valedicam hodie tibi. *Mod.* Et ego pro patientia tua multis modis obligatum me tibi agnoſco, ſperans, craſtino mane paſſurum te, ut veniam percontatum quomodo valeas, & ſi placuerit, ulteriore tua informatione fruar. Vale.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQUIUM QUINTUM.

Modeſtinus : Pomponius.

M*Od.* Adſum, mi Pomponi, benevolentiæ tuæ confiſus. *Pomp.* Recte facis, utendo, quantum per anguſtiam temporis licet, ſtudio erga te meo. Scio enim omnia in te virum digniſſimum conferri, & qui non abutatur explanationibus meis extemporaneis. Neque enim Commentarium tibi facio cum induſtria compoſitum, ſed familiari Colloquio, quæ memoria ſuppeditat, expono, ea cumprimis quæ ex Commentariis aliorum non diſcuntur facile. Verba Legis clara tua capiet induſtria. Inepti ſunt qui, quæ ex legum verbis ſunt haurienda, ex Commentariis Blumio & ejus farinæ auctoribus petere malunt. Placetne continuare lectionem? *Mod.* Perplacet, niſi ſit moleſtum. Video ſupereſſe nobis capita potiſſima hujus primæ partis exantlanda, quæ, ut facerem lucrum temporis, heri poſt abitum tuum perluſtravi. *Titulus X.* inſcriptionem habet de officio Judicis Cameralis in genere. Hic vero, & ſuperiore *Titulo III.* quem adhibere non neglexi, & colloquii noſtri heſterni ad iſtum locum non ſum oblitus, tales deſcribuntur Judicis virtutes, quas invenire in uno ſubjecto arduum puto futurum. Quotusquiſque enim *Tit. X.*

enim eſt Imperii Procerum, qui per lectis titulis iſtis uſque ad *XVII.* qui de officio Judicis agunt, junctis Viſitationis noviſſimæ ſtatutis, imparem ſeſe non ſentiat huic muneri. Difficilis etiam videtur eſſe conditio, quæ legitur in principio: **In emſiger Gegenwärtigkeit im Gericht / Rath / und ſonſten zum treulichſten Aufſehen haben ſoll.** Ita enim hoc officium permultum negotii & curarum faciet Judici. *Pomp.* Tu vero Modeſtine, ſcire petes, quod tantæ difficultatis non ſit Directorium Collegii, cujus membra ſingula, quod cujusvis eſt officium, probe callent, & faciunt ſua ſponte. In re militari, ſummæ rei præficitur unus, isque digniſſimus. Qui, ſi habeat Duces militesque expertos prudentesque, horum conſilio & opera gloriam officii facile aſſequitur. In militari togata, h. e. Supremo Imperii Judicio, non eſt negotium cum viris imperitis, imprudentibus, negligentibus, legum contemtoribus, ſed qui (ut olim, *Q. Curtio* teſte, de Macedonum acie dixit Charidemus, militaria munera non Duces magis quam milites calluiſſe) officium, & ſuum, & directoriale, non minus norunt, quam ipſe Judex, vel Director Vicarius. Et ubi opus eſt, Directorio adſiſtunt monendo, communia in rem conſilia conjungendo. Hæc ſuprema eſt totius Syſtematis Cameralis lex, ſalus Reipublicæ, Juſtitiæ adminiſtratio, conſtans inter Judicii caput atque membra concordia. Hoc ita graviter exprimitur *§. 1.* **In-**

glei-

gleichen daran ſeyn und verhelffen / daß die löbliche alte Einigkeit und Pflanzung alles friedlichen Weſens im Collegio, erhalten / und alles Mißtrauen / und was dazu etwa Urſach geben möchte / gänzlich aufgehebt werde. Neque conſilia & monita Aſſeſſorum ægre feret Judex; Qui, ſi in rebus ambiguis ſuopte conſilio vel arbitrio omnia ſuſcipere & jubere, vel aliorum potius quam Præſidum & Aſſeſſorum conſiliis uti præſumſerit, vel paucorum, quos ex his in ſuam ituros ſententiam putavit, hoc ipſo patefaciet, virtutum ſuarum tunc non fuiſſe memorem, tantisque difficultatibus ſe implicatum ſentiet, quas ſuperare nequeat: Neque etiam jure ſuccenſebit, ſi, ubi eſt opus, etiam conſilia ipſius & facta, quæ cum Legibus Imperii & ſtylo Judicii non congruere animadverterint Præſides & Aſſeſſores, (à quibus tamen ut ipſe caveat ſuadet cujusque prudentia) ad totius Collegii Judicium deducantur. Quæ ſint Judicis officii, conſilio & monitione ſeniorum Collegii membrorum, accedente uſu, mox diſcuntur. Proinde, quod de præſentia Judicis in loco Judicii ſtatuitur, & *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 16.* repetitur, civiliter eſt intelligendum, ut ſcil. ubi expedit fieri, adeſſe & præſidere non dedignetur. Stabilitâ in Collegio concordiâ, quæ præſens Judex ordinavit, etiam abſente eo recte adminiſtrabuntur. Sunt in hisce *titulus X. uſque XVII.* aliqua ad antiquum Judicii Cameralis ſtatum magis ſpe-

S ctan-

ſtantia, quam ad modernum. *Mod.* Hæc vero ut declarare mihi ſuo loco velis, peto. In principio tituli poteſtas videtur eſſe data Judici coërcendi etiam Aſſeſſores. Non crediderim coërcitione tali opus fore per ea, quæ dicere ſupra occupaſti. *Pomp.* Noſti canonem philoſophicum, talia eſſe ſubjecta, qualia ſunt de iis prædicata. Quales olim fuerint Aſſeſſorum quorundam (de omnibus enim ſermo eſſe non poteſt) mores, induſtria, contumacia, quæ legi huic occaſionem dederunt, ex Protocollis Viſitationum antiquarum conſtare fortaſſis poterit. Receſſus ſive Leges Viſitatorum indicant aliquos defectus, eosque corrigunt oratione generali: Non vero eſt exiſtimandum, errores notatos fuiſſe Aſſeſſorum omnium. Unus alterque ſi forte in errorem lapſus fuerit, hoc generali ſanctioni occaſionem dedit. Id quod etiam in articulis nonnullis Viſitationis noviſſimæ obſervamus. Coërcitio tamen Aſſeſſorum, ſi qua opus foret, à Judice non ſuſcipietur arbitrio proprio, ſed cum conſilio reliquorum, vid. *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 3. in fin.* & adhibitis gradibus *Tit. VI.* præceptis. Honor & obedientia debetur Domino Judici. Hic viciſſim honorem non detrahet Aſſeſſoribus, neque ut hoc fiat ab aliis, permittere debet, nec aures præbere faciles obtrectatoribus. Hoc volunt verba: Jedoch mit gebührender Beſcheidenheit / wie ſich ſolches gegen Stands-Perſonen geziemet / junctis verbis *Tit. præced. III. in fine.*

ſine. Explicatur hoc ulterius *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 16.* verbis: Hingegen haben auch Cammer-Richter und Præſidenten hinfüro in emſiger Gegenwärtigkeit bey dem Gericht ihr Amt in alle mögliche Weeg ernſtlich / jedoch mit gebührender Beſcheidenheit / wie ſich ſolches gegen die Beyſitzer geziemet / der Ordnung gemäß zu verrichten / nicht weniger gegen die Partheyen / ſo etwa von dieſen ſchimpflich zu reden ſich unterſtünden / deren Anſehen / Ehr und Reſpect nachtrücklich ſchützen zu helffen. Præſtantiſſimum eſt axioma & certiſſimum: Quo major eſt membrorum in corpore politico dignitas, tanto potior eſt capitis. Ad ipſum Judicem redundat omnis honor, quem is in colenda tuendaque exiſtimatione Aſſeſſorum ponere ſtudet. *Mod. Paragr. 1. hujus tituli,* juncto *§. 3.* qui agunt de officio Præſidum & obſervantia iis exhibenda, nullam video habere obſcuritatem, ſpecialia jam ſequuntur *titulis ſeqq. Pomp.* Non ſunt prætereunda *in §. 3.* verba: Daß die Præſidenten neben dem Cammer-Richter im Gericht und Rath præſidendo Kayſerliche Majeſtät repræſentiren. Non ergo ſolius Judicis eſt hoc officium repræſentatitium. Neque fruſtra additur: Im Gericht und Rath. De Aſſeſſoribus *Tit. præcedenti IX.* etiam dicitur, quod repræſentent Cæſaream Majeſtatem, Electores, Principes & Status Imperii. Et *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 22.* Das Gericht repræſentire überhaupt Kayſerliche Majeſtät und das Reich.

 Mod.

Mod. Ex his omnibus fluit, quod Judicium Cameræ conſtitutionem ſuam etiam debeat Statibus Imperii, & quod non ſolum Cæſaris, ſed etiam Statuum nomine Juſtitia hic adminiſtretur. Tanto major ergo Statuum Imperii debet eſſe cura in hoc Judicio tuendo, ornando, augendo, honorando, ſuſtentando. *Pomp.* Utinam omnium hæc eſſet ſententia, voluntas, & ſollicitudo. Nam ſi inter Proceres Imperii aliqui privilegio de non appellando utuntur pleniſſimo: Si etiam cavent ne contra ipſosmet opus ſit officio Judicis, obſerventque ipſi in territoriis propriis Juſtitiam; Non idcirco exiſtimant, vel audiunt eos qui putent, ad ipſos nihil pertinere Judicium Cameræ Imperialis, cum in ejusdem conſtitutione, h. e. adminiſtrationem Juſtitiæ ſupremæ, partes etiam ſint Imperii Statuum, proinde ut etiam hujus Archi-Dicaſterii Imperialis curam habeant, eſt æque neceſſarium, ac eſſe credit unusquisque eorum nutritionem Judicii ſui territorialis. Acceda-
Tit. XI. mus ad *Tit. XI.* Cum principio, quod agit de tempore frequentandi Senatus, conjungendus eſt *Tit. XXI. princip.* & *§§. 1. 2. 3. 4. 5.* Hos enim poſſumus abſolvere paucis. Nullus Dominorum Præſidum vel Aſſeſſorum absque venia à Senatu abeſſe ſolet. Dominus Judex ſi impediatur, indicare conſuevit Præſidi per Secretarium. Schedulæ vero excuſatoriæ ad Dominum Judicem diriguntur, abſentem etiam, tanquam præ-

præſentem, & deferuntur ante horam Senatus mature ad Pedellum, Judici vel Præſidi tradendæ, ex cujus manu eas accipit alteruter Aſſeſſorum Deputatorum ad ærarium. Tardiorem acceſſum ad Senatum unusquisque injectione monetæ *tit. 21. §. 3. 4.* deſignatæ, in pyxidem pauperibus deſtinatam luit, etiam non monitus. Neque enim qui decori eſt amans, monitiones tales frequentes fieri patitur. *Mod.* Si ergo quilibet in tempore adeſt, parum accedet pauperibus. *Pomp.* Intelliguntur hic pauperes, qui in Camera lites habent, & ſunt præſentes. Pro his alia etiam ſunt ſubſidia ex mulctis pecuniariis, quæ in Sententiis & Decretis Advocatis & Procuratoribus dictantur, vid. *Tit. LXVII.* ſi qui ſint inter eos negligentiores vel ingenio ſuo abutentes. Experiuntur hoc rarius veterani, frequentius novitii. Gravius vero Advocati extranei quotquot ex his nihil non licere ſibi putant. Non vero in loco Judicii commorari debent pauperes, ut hic ſuſtentationem vitæ quærant, ſed ut aliquid ſaltem habeant ſubſidii: Intolerabilis fuit ſemper conſuetudo pauperum, peſſimorum quandoque hominum, quod decoctis in patria facultatibus, ob cauſam qualemcunque, ſæpius injuſtam, ingrediantur noſtram urbem cum omni familia, juſtitiam flagitantes, quam tamen pati nolunt, revera, ut victum quærere poſſint mendicando, magno numero, multaque cum importunitate. *Mod.* In *§. 1.* verba: So

S 3 viel

viel möglich verſtehen / neceſſaria fuiſſe puto, cum arduum nimis & grave onus videatur eſſe Judicis, ſi is cauſarum omnium capita ſingula ſcire & expendere debeat. *Pomp.* Non arduum modo & grave, ſed plerumque impoſſibile. Neque etiam tali rerum forenſium cura occupari debet Domini Judicis officium. In cauſis, quarum circumſtantiæ breviori narratione abſolvi poſſunt, facile erit, ut etiam Judex informationem capere queat; auſcultando Relationi Actorum. In prolixioribus vero & intricatis, quarum ſunt plurimæ, niſi etiam conſtanter præſideat & auſcultet annotetque neceſſaria, fieri nullo modo poteſt, ut de cauſa informationem adquirat ſufficientem. Verbo, non eſt Judicis officium, ferre ſententiam judicio ſuo, ſed ſecundum vota Aſſeſſorum fieri debet concluſio. Et cum unoquoque Senatu uno eodemque tempore præſens eſſe Judex nequeat, in ſingulis vero ſeorſim cauſæ referantur: planum eſt, quod impoſſibile ſit Judici, omnium cauſarum, ſive de facto, ſive de rationibus decidendi ſit quæſtio, adquirere notitiam. *Mod.* Hoc intelligo, quod auſcultando uni, non poſſit informari de omnibus. Credideram tamen Judici liberum fore Acta judicialia, antequam in Senatu referantur, perluſtrare, ut ſtudio vel proprio vel Conſiliarii cujusdam de meritis fiat certior. *Pomp.* Imo vero extra Senatum, & ab aliorum quam Aſſeſſorum ore, nulla eſt Domini Judicis cognitio. Actorum per-

perluſtratio privata vel communicatio cum aliis, quam quibus hoc officii in Camera eſt impoſitum, absque ſuſpicione eſſe non poterit. *Mod.* Quis vero prohibebit Judicem vel Præſides capere informationem ab ipſis litigantibus? *Pomp.* Hos ſi voluerint, audient, ſed litigantium ſermones referre in Senatu, & ex iis judicium facere præmaturum, impediet magis tractationem cauſarum quam promovebit. Ad iſtiusmodi enim ſermones aures habent Aſſeſſores clauſas, nihilque niſi quod in Actis reperitur, in deciſione attendendum ſibi eſſe, ſciunt. Ordo in Relationibus & Votis ut obſervetur, Judicis eſt providere juxta hunc textum *§. 1.* cetera omnia Aſſeſſoribus congregatis in Senatu, qui ſunt **Urtheiler /** h. e. proprie ſic dicti cauſarum definitores, relinquenda. *Mod.* Quomodo autem cavebit Judex **alle Uberflüßigkeit und unnöthige Verlängerung?** *Pomp.* Non poteſt dignoſcere Judex vel Præſes, quid in Relationibus & Votis ſit abundans, niſi omnium Actorum habeat notitiam cum ipſo Referente æqualem. Difficilis ergo hujus legis adplicatio, (quod in Colloquio noſtro primo dixiſſe me puto) excepto caſu, quem accidiſſe non ſcio, quod plures Aſſeſſores de prolixitate inutili Referentis querelam ad Dominum Judicem deferrent. Pertinet hæc obſervatio etiam ad *tituli hujus ſequentem §. 2dum.* *Tertius* ad praxin non deducitur melius, quam ſi finito Senatu, agenda die ſequente conſtituantur, ſic enim nul-

nullo opus erit colloquio præliminari & circumambulatione. Ubi vero Judex vel ejus Vicarius de rebus in quolibet Senatu tractandis mature non fuerit ſollicitus, non poteſt non fieri, ut temporis aliquid tranſeat inutiliter. *Mod.* Quod de ordine referendi *§. 4.* ſtatuitur, verba ſunt quidem clara, ſed praxis in veſtro foro non verſanti plane non eſſe videtur. *Pomp.* Generalis hujus legislationis finis eſt (1.) ne Relationes Aſſeſſorum fierent promiſcue, ordine nullo obſervato, ſic enim alius impediret alium; (2.) Ut omnes Aſſeſſores pari diligentia fungantur officio quisque ſuo, neque Dominus Judex ſit Titio vel Sempronio cuidam indulgentior: Hoc obtento fine, facile obſervabitur ordo pro diverſitate cauſarum vel definitivarum, breviorum, prolixiorum, interlocutoriarum recurrentium, & quæ ſunt aliæ ſententiarum ſpecies. Sciendum autem eſt, ſingulos Aſſeſſores Actis varii generis eſſe oneratos: Inter eas aliquarum expeditio impenſius ſollicitatur: Maturationem vero requirit vel qualitas materiæ & proceſſus, vel conditio perſonarum, & periculi ex mora metuendi. Impediuntur Relationes plerumque per litigantes ipſos, adeo ut alter Juſtitiæ fiducia deciſionem flagitet, alter (incredibile dictu, quod tamen experimur ſæpius fieri) ut relationi mora injiciatur omnem moveat lapidem. Ordinem referendi textus vult obſervari inter Aſſeſſores ejusdem Senatus: nam juxta ordinem ſeſſionis in Pleno, ſerus ni-

nimium foret ad unum eundemque Aſſeſſorem recurrens ordo. Porro diſtinguendas eſſe Relationum materias, res ipſa monet, ne ad ordinem eundem referatur Relatio, una forte ſeſſione vel tribus exantlata, erga aliam, quæ opus habuit totidem ſeptimanis. *Mod.* Eſſe igitur vocem calumniatorum credo, qui febrem, neſcio qualem, milites togatos invadere dixere, quando ad conflictum deſcendere jubentur. Verba finalia *§. 4. 5.* medicamen tali morbo adferre poterant. *Pomp.* Iſtiusmodi febri præſens Collegium Camerale minime tangitur, ſed potius æmulatione laudabili in peragendis laboribus. Proinde hic textus ab antiquo derivatur tempore, neque hodierno ea opus eſt medicina. *Mod.* Quinam eſt ſenſus verborum *in §. 6.* **Erſt beſchloſſene Sachen ꝛc.** Cauſas à litigantibus ſubmittendo concluſas hic intelligi puto, non vero ordinem cauſarum referendarum, quem Dominus Judex decrevit conſilio ſuo. *Pomp.* Adhibendus hic eſt *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 60. & ſequentes uſque 64. incluſivè,* porro *§. 70.* juncto *Memoriali pro Advocatis & Procuratoribus §. 17. in Taxa Laborum num. 20.* Ex quibus textibus collatis palam fit, non licere Domino Judici arbitrio ſuo mero præferre alicujus cauſæ tractationem, aliam vero poſtponere, ſed normam præſcriptam eſſe obſervandam, ut absque cauſa legitima, prærogativam alia nulla habere debeat, non in relatione tantum, ſed etiam in ipſa diſtributione:

Digitized by Google

Hanc vero ex tempore concluſionis, ſive ſubmiſſionis à partibus factæ æſtimandam eſſe, dictis Legibus præſcribitur. *Mod.* Quomodo verò ſcire poteſt Judex, quæ ſit ex cauſis in concluſione antiquior? Omne quod hic, & *in Receſſ. Viſitat.* ſtatutum legitur, de prætogativa cauſarum antiquiorum, limitari videtur in hoc ipſo *§. 6.* per verba: **So viel möglich/** deinde per qualitatem cauſarum, quæ dicuntur privilegiatæ *in ſequenti §. 9.* juncto *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 60. 63. 64. & 70.* Crediturne hic relationi vel annotationi Lectorum, quod colligitur fere ex *dicto loco Viſitationis §. 63. 64.* An non potius ipſorum Aſſeſſorum fidei, & accuratiori de uniuscujusque cauſæ natura cognitioni relinquendum? Et quid tandem de cauſis antiquis à partibus derelictis vel ſollicitatione recenti non indicatis? In tanto litium numero magnum oportebit eſſe volumen, (quod *Regiſtrum* dicitur) cauſarum omnium deſignationem, & ſimul differentiam ordinariarum & privilegiatarum continens. *Pomp.* Diverſa tu hic accumulas quæſita, quæ tamen connexa eſſe agnoſco, neque niſi ex viva praxi ſatis perſpicua. Operam dabo, ut explicem materiam, quantum fieri poteſt, ſermone extemporali. *Principio* tenendum eſt, loqui Leges de Actorum non tantum diſtributione, quæ pertinet ad officium Domini Judicis, ſed etiam de elaboratione & relatione ſive deciſione, quæ eſt operis Aſſeſſorii. In diſtributione

ſi ob-

Digitized by Google

ſi obſervata fuerit prærogativa antiquitatis, vel qualitatis, eandem poterit obſervare Referens. Aſſeſſorum eſt cura minima numeri cauſarum quotidie introductarum vel concluſarum, ſed earum ſolum, quæ unicuique ſunt diſtributæ: In his ordinem factæ concluſionis vel prærogativæ qualitatis Referens ſequitur. Si vero ex. gr. diſtributio recentioris cauſæ concluſæ, Aſſeſſori maturius facta fuerit quam antiquæ, ipſe, quemadmodum *in elaborando* plerumque ſequitur ordinem diſtributionis, (ſcire enim nequit, an unquam, & quænam cauſa antiquior ipſi ſit tradenda) ita etiam *in referendo*, ſi prætulerit cauſam ſibi prius diſtributam, nihil committet legi adverſum, vid. *§. 8. in fin.* **Die Sachen / die ihm zugeſtellt / eine jede in ihrer Ordnung zu referiren.** Fieri enim poteſt, ut cum ordo referendi cum tangit, ad proponendam antiquiorem cauſam, tardius diſtributam, paratus non ſit. *Secundò* de Regiſtro ſive Deſignatione cauſarum, cujus mentio *Tit. XI. §. 6. Tit. XII. §. 22.* pluribus repetita *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 63. 64.* ſciendum eſt, alia eſſe Volumina, ſive Catalogos, Repertoria vocant, cauſarum in Lectoria h. e. Archivo Camerali, quæ continent Actorum omnium rubricas ordine alphabetico, & addito anno factæ introductionis in Judicio, & nomine Referentis, ſi eſt conſtitutus, nec non tempore diſtributionis. Alia vero Deſignatio ſive Regiſtrum eorum ſaltem Actorum, quæ ex aliquot mil-

libus Voluminum in Repertorio recenſitis ſunt diſtributa, quod *§. 6. hujus tituli*, & *Receſſ. Viſitat.* indicatur. Hæc deſignatio fieri ſolet duobus exemplis, quorum unum in Lectoria aſſervatur, alterum à Domino Judice, vid. *Tit. XII. §. 22.* quod tamen ipſe abſens ad uſum Præſidis dirigentis relinquere debet *Receſſ. Viſitat. §. 64. in fine.* Nomina Aſſeſſorum hic inveniuntur cum rubricis Actorum, & annotato tempore factæ diſtributionis. *Mod.* Ægre ne feras, quæſo, interpellationem: Scientne ſemper Lectores, quænam Acta ſint diſtributa & qui Referentes? *Pomp.* Omnino, & ſcire debent juxta *Receſſ. Viſitat. §. 63.* verſu: **Wie dann auch beſagter Herr Cammer-Richter ꝛc.** juncto *§. 64.* De hac re vero Aſſeſſor referens non eſt ſollicitus, ſed Acta ex manibus Domini Judicis vel Directoris accipit, curam inſcriptionis in Regiſtrum & quæ ſit antiquior diſtribuenda, ſibi injunctam non eſſe, intelligens. *Mod.* Nihil adhuc audivi de annotatione & concluſionis & qualitatis cauſæ, quam in diſtributione obſervandam eſſe leges inculcant. Eritne munus Domini Judicis ut Acta perluſtret, ad cognoſcendum tempus & objectum concluſionis, quod poteſt eſſe varium, vel, an relationi & judicio Lectorum hoc relinquetur? *Pomp.* Jam attingis Rhodum, Modeſtine. Catalogi quos dixi ſive Repertoria, tantæ ſunt molis, operæ etiam in evolvendo ex omnibus annis, ut Judici, ſi hæc

hæc ſecum habere deberet, magno futurum eſſet oneri. Proinde hoc volunt leges, ut etiam in altera illa deſignatione magis compendioſa, non tantum Actorum cuique Aſſeſſori diſtributorum, ſed etiam temporis factæ concluſionis & ſimul objecti fieri debeat annotatio, vid. *Tit. XII. §. 22.* & *Receſſ. Viſitat. §. 63. in fin. Mod.* Nondum exemtum mihi eſt dubium de arbitrio ea in re Lectoribus relicto. Nam *in §. 7. hujus tituli XI.* lego, daß von denen Leſern erkundiget werden ſolle / ob die Sache dermaßen beſchaffen / daß ſie vor andern zu referiren ſeye. Non crediderim horum cognitioni tantum negotium ſubjacere. *Pomp.* Quod nunquam hac in re exiſtere poſſit error, ego ſponſor eſſe nollem. Inſcribere ſolent Lectores titulo Actorum ſubmiſſiones ſive concluſiones, quantum ipſorum & diligentia & peritia aſſequitur, v. gr. *Proclamatis, Termini, Compulſorialium, Publicationis Actorum, Commiſſionis, Interlocutionum.* Et hæc omnia Lectores ex perlectione ſolius Protocolli Actorum ſive Receſſuum à Procuratoribus in Audientia publica viva voce recitatorum, colligunt. Scriptorum enim productorum indagatio non eſt muneris Lectorum. Sunt ſæpius claræ ſatis ſubmiſſiones & concluſiones: ſunt interdum intellectu difficiliores, cumprimis ſi quæſtio eſt de ſententia definitiva, neque enim, quod Procuratorum alter petit, idcirco eſt objectum deciſionis. Petuntur enim ſæpius iniqua,

v.gr. Si quis petierit Paritoriam ad Mandatum aut aliam definitivam Sententiam, vel declarationem in pœnam & Mandatum de Exequendo: Lector inſcribit titulo Actorum tanquam terminos præciſos ſubmiſſionis ſive concluſionis pauciſſimis verbis: *Paritionis, Gravaminum, Definitivæ, Mandati de Exequendo &c.* & tamen fieri poteſt, ut Actis ita diſtributis longe aliter ſentiat Referens & Senatus. Hinc veriſſimum eſt & à legibus non alienum, quod ab Aſſeſſorum judicio dependeat non ſolum hoc, quænam vera ſit ſubmiſſio & concluſio, quodnam objectum deciſionis, ſed etiam quæ ex pluribus cauſis opus habeat maturatione. Inſpice *Tit. XI. §. 9.* juncto *Tit. XXIII. §. 15.* ubi, ut cauſæ ab Aſſeſſore referente allegatæ penſi habeantur, eſt expreſſum, neque Judicis ſolius arbitrio hoc relinquitur, ſed exorto dubio, cum conſilio Aſſeſſorum reliquorum, ſcil. qui ſunt ejusdem Senatus. Non igitur Judex, providus arbitrium ſumere ſolet ſibi, quarum cauſarum relationem & expeditionem præferri, quarum differri velit. *Mod.* Intellexi. Si enim *in §. 6. 7. 8. 9. hujus tituli* præſcriptum eſt quæ in ordine referenda ſit cauſa, officium eſt Domini Judicis, ut proſpiciat ne præferatur relatio quæ juxta legem poſtponi debebat. Et cum in diſtributione maxima debeat eſſe cura ipſi, non licebit etiam Acta recentia præ aliis expeditioni demandare, niſi fuerit cauſa ſatis gravis maturationem exigens.

Pomp.

Digitized by Google

Pomp. Optime. Et cum olim ea in re peccatum fuerit, admonitione opus eſſe crediderunt Domini Viſitatores, quæ legitur *in Receſſ. Viſitat. §. 60. 70.* *Mod.* Multo minus ergo Acta ad deciſionem nondum matura ſive ſubmiſſa. *Pomp.* Ita cavetur expreſſe *§. 60.* **Bey der** Diſtribution **Sorge zu tragen / daß keine** Acta, **worin nicht** ſubmittirt / **unverſehener Dingen außgetheilt** **ꝛc.** Homo eſt Judex, qui falli etiam poteſt, ſi moveretur forte precibus & inſinuatione partis litigantis vel Procuratoris, cui favorem exhibere voluerit. *Mod.* Quodnam vero remedium ſi id accidiſſet? *Pomp.* Diſtributio ſi non eſt nulla, tanquam contra legis ſanctionem expreſſam facta, Aſſeſſor ille cui talia Acta diſtribuuntur, quam primum inſpexerit, retradet, vel eorum elaborationem differet. Inſpectio autem quandoque fieri poteſt longo à diſtributione præterlapſo tempore. Qua de re ad *Tit. XXIII.* audies plura. *Mod.* Mirum tamen ſi Procuratores, cum non ſolum leges non neſciant, ſed etiam definitionem cauſarum non concluſarum ſperare nullo modo poſſint, nihilominus diſtributionem iſtiusmodi Actorum flagitare non erubeſcant. *Pomp.* Dies deficeret ſi exponere vellem, quantæ ſint litigantium & qui cauſis patrocinantur, artes, ſpeculationes, inventiones, captationes, tentamina: Quæ tamen mox palam fiunt, & excidere ſpe concepta faciunt ſuos auctores. Diſtributiones interdum flagitantur cau-

cauſarum, non ut maturetur Juſtitiæ adminiſtratio, ſed ut in longum trahatur. Ubi inprimis providus eſſe debet Judex. *Mod.* Quo vero pacto diſtributionem Actorum aliquis poſtulabit eo conſilio ut expeditio moram habeat? *Pomp.* Aperte hoc profiteri quis non erubeſceret? Aliqua ſaltem patefiunt, omnia minime. Sunt enim in iſtiusmodi rebus litigantium artes ſæpius novæ, quibus Judicis ſive Directoris voluntas etiam conſtans & perpetua Jus ſuum cuique tribuendi circumventioni obnoxia eſſe poteſt. Finge, quod verſetur aliquis in poſſeſſione rei de qua litigatur. Talis eſt etiam debitor omnis. Huic non eſt cura magna litis finiendæ, ſed ne adverſarius commodo qualicunque fruatur. *Mod.* Solatium miſerum, quod in fine executione tanto duriore penſatur. *Pomp.* Ad hanc uſque dum deveniatur, multa accidere poſſe cogitant. Finge porro, Procuratorem non omnino incurioſum eſſe, cuinam ex Dominis Aſſeſſoribus plurima Acta ſuperſint expedienda. Si ergo ſciverit dirigere ſollicitationem, ut iſti ex Aſſeſſoribus Acta, quandoque magnæ molis, (eſt enim in augendo Actorum corpore præter neceſſitatem etiam ſtudium iſtiusmodi litigantium) ad expeditionem tradantur, quem credit ea aliis poſtpoſiturum eſſe, multum in tempore lucrum ſperat. *Mod.* Antea vero dixeras Domine, non oportere diſtribui Acta niſi obſervata antiquitate concluſionis. *Pomp.* Dixi etiam quam

faci-

Digitized by Google

facilis ea in re ſit error. *Mod.* Pendente proceſſu exoriri multa poſſunt vel inter litigantes, vel per ipſum Judicem inferiorem, quibus remedium eſt adferendum donec cauſa definitiva ſententia terminetur. Eo caſu quid conſilii? *Pomp.* Ita fert Judicii ſtylus antiquus ad nos translatus, ut priusquam alii Referenti diſtributa ſint Acta, per eum, qui in qualibet cauſa officio extrajudicialis Referentis eſt functus, libelli & rogationes incidentes, ex. gr. pro revocandis Attentatis, & ſi quid aliud providendum cavendumque, expediri debeant. Id, ſi non placuerit alteri litigantium, cogitat interdum de via qua iſte Referens, de meritis informatus, ab ulteriori progreſſu excludatur, quod futurum credit, ſi obtinere poſſit diſtributionem Actorum, etiam noviſſime concluſorum, vel ne quidem inſtructorum, & quidem ita, ut ad alium Senatum deducantur, interim clientulus non urgeatur amplius. Verbis deſcribi non poteſt litigantium quorundam impudentia & malitia, qui ſæpius non parcunt honori Aſſeſſorum, & ſi audiantur, graviſſimi inde exoriri poſſunt errores, diffidentiæ mutuæ in negotiis pluribus, adminiſtrationi Juſtitiæ & curſui officii valde nocivæ. *Mod.* Jam recordor ex primo noſtro colloquio quæ diſſerueras de mutatione referentium ab expeditione ſupplicationum extrajudicialium ad tractationem cauſæ in ordine ad ſententiam definitivam, vel majoris ponderis interlocutoriam. *Pomp.* Dixeram

U ibi

ibi de diverſo more Judicii Imperialis Aulici ab eo qui eſt in Camerali, & de negotia expediendi difficultate. Si recte meminiſti, intelliges, non fuiſſe quæſtionem: *An expediat*, juxta Cameralis Judicii ſyſtema, obſervari morem Judicii Aulici. Hoc ego neque aliis perſuadere vellem, neque mihi ipſi. *Mod.* Peto ergo ut loquaris mecum explicatius. *Pomp.* Ita eſt formanda quæſtio: *An exiſtat uſpiam regula lege ſtatuta generalis, exceptionem non admittens: Quod Aſſeſſor qui fuit Referens libelli pro decernendo Proceſſu, excluſus eſſe debeat à munere Referentis cauſa ejusdem judiciali:* Hoc lege ſtatutum non eſſe, neque ut unquam ſtatuatur utile, neque habere rationem idoneam, putavi. Verba enim quæ *ex Receſſu Imperii 1654. §. 139. in fine* ad præſidium regulæ talis advocari poſſent, (nam in omni reliqua legislatione ſimilia non leguntur) ut capiantur generaliter, nulla excogitari poteſt ratio ſufficiens. Nullus in toto Receſſu Imperii eſt locus, qui ejus rei vel minimum faciat indicium, cum in aliis articulis nervoſe ſatis declarentur legis rationes. Adverſus Conſtitutionem de Pignorationibus & Proceſſus decretos jam dudum extiterant quorundam Statuum Imperii, teſtibus Actis publicis, querelæ. His ergo remedium qualecunque adferre voluiſſe Legislatores, non vero regulam facere generalem, ego plane ſum perſuaſus. Pro ſtatuenda regula generali, inveniri non poſſet ratio ulla, quam

ut

ut eſſet cautela, ne is qui extrajudicialiter decreviſſet proceſſus, hos in deciſione cauſæ plus juſto tueri ſtuderet. Hoc vero quam minime fiat, majorque ſit Aſſeſſorum juſtitiæ, poſt audita utrinque cauſarum merita, ſtudium atque affectio, quam decreti extrajudicialis cujuscunque conſideratio, experimur nos quotidie. Et cum in concludendis vel Decretis extrajudicialibus vel Sententiis, Votum Referentis, quantocunque etiam ſtudio elaboratum, non ſit potius quam Aſſeſſorum reliquorum qui Senatui interſunt; neceſſarium foret, excludere à Senatu judiciali ad unum omnes, quorum Votis proceſſus fuere decreti, quandoque contra votum Referentis. Quod neque conſtitutum eſſe, neque ſtatui debere, nemo eſt qui non agnoſcat. Imo nec ipſum Referentem ſupplicationis extrajudicialis ab iſto Senatu excludi, praxis eſt Judicii notiſſima: neque aliter fieri poteſt absque magno negotiorum impedimento, quod non vidiſſe Legislatores, credibile non eſt. Non ergo fuit unquam talis quam ſupra dixi regula, nata, (meminiſſe me puto ſatis) in cerebro Procuratoris cujusdam dudum defuncti, neſcio qua vel opinione ſapientiæ inflati, quam deinde inſinuare ſtuduit ad negotia ſufflaminanda & onerandos ſuſpicionibus malevole Aſſeſſores. Quotusquisque vero eſt ex his, qui meminerit cauſarum omnium extrajudicialium à pluribus annis ſibi diſtributarum? Quid, ſi Acta aliqua à Domino

Judice Aſſeſſori diſtributa, ab hoc acceptata & elaborata fuerint, tum vero tempore judiciali Relationi conſtituto, in evolutione, quæ plerumque fieri ſolet à pluribus annis retro, Protocolli Senatus extrajudicialis, inveniatur iſte Aſſeſſor annotatus Referens ſupplicationis, eritne propterea nulla diſtributio, omnis labor inanis? Quid, ſi pro difficultate cauſæ & maturationis neceſſitate in ipſa deliberatione extrajudiciali Domino Judici viſum fuerit, cum conſilio Senatus, ut pro qualitate materiæ idem Aſſeſſor referens ſupplicationum, poſtea in futura deliberatione judiciali mutari non deberet? Talem ſane Domini Judicis diſpoſitionem irritam eſſe, nemo facile dixerit. Breviter, ut extrajudicialis referens eſſe *debeat* poſtea etiam judicialis ordinarius, non voluere leges noſtræ; *ut eſſe ullo caſu non poſſit*, non prohibuere. Tandem, ſi demus, generalem regulam eſſe ſtatutam in Receſſu Imperii dicto loco, ſciendum eſt, multa capita Legum Cameralium ad expectatum numerum Aſſeſſorum duplo majorem reſpicere, quam qui noviſſima lege eſt conſtitutus, nondum completus, neſcio quando complendus. *Mod.* Quid vero modus diſtribuendorum Actorum ad numerum Aſſeſſorum? *Pomp.* Multum ſane. Inter plures diſtributio eſt facilior, neque opus penſis tam largis onerare ſingulos. Qua in re Dominus Judex ob cauſarum vel neceſſitatem vel privilegium, poſtulantium deſideriis non poteſt deeſſe ſemper.

Mod.

Mod. Cum vero cauſæ privilegiatæ, ſive, ut alibi appellantur, *extraordinaria*, habeant prærogativam, non modo in diſtributione, ſed etiam in Relatione, verendum erit, ne per has ordinariæ poſtponantur nimium. Heri in volutando noſtrum Codicem incidi *in part. 3. tit. 3.* ubi novem & viginti claſſes recenſentur cauſarum extraordinariarum. Inter has vero obſervavi, loco, ſi recte memini, ſeptimo & octavo, cauſas, quæ habent in mora periculum, ne res, de qua litigatur, pereat, vel aliud naſcatur damnum non reparabile, ſi victoria litis in fine ſit inanis. Deinde *in dicto §. 3.* admodum notabilis addita eſt claſſis cauſarum privilegiatarum, **daran merckliche und viel gelegen / als auch beſchwehrter und betrübter Leute / vor andern zu befördern.** Crediderim ad claſſem hanc permultas referri poſſe. *Pomp.* Non male ſentis. Sed quæ ſint revera tales, non ex allegatione & clamore partium litigantium, ſed ex ipſa Actorum penſitatione eſt cognoſcendum. Ita autem Dominus Judex Acta diſtribuet, ut unicuique Aſſeſſori tradantur ſucceſſive variarum claſſium Acta, in quarum qualitate, ſi, quod absque ejus culpa contingere poteſt, erraverit, Aſſeſſoris referentis dexteritas, id quod facto opus eſt ſupplebit. *Mod.* Nihil ergo hac in re arbitrio mero Judicis erit relictum? *Pomp.* In magno cauſarum numero inter plures æqualiter privilegiatas vel ordinarias parem temporis & concluſionis rationem habentes,

poterit eligere primò Acta diſtribuenda quæ voluerit; vid. *Receſſ. Viſitat. §. 60.* (Omnia enim tempore eodem diſtribui non poſſunt.) Deinde Aſſeſſorem quem exiſtimaverit ſatis promtum, conſtituere Referentem, atque hac in parte multum favoris exhibere litigantibus. Qui, ſi etiam Referens ſuum adferat laborem & diligentiam, matura deciſione frui poterunt. De antiquis cauſis, quod ſupra quærebas, intellige, quod permultæ ſint cauſæ, quæ ob mutatum ſtatum rerum vel perſonarum ad curſum ſollicitationis non deducantur, lex itaque non vult eas decidi, quarum deciſionem neutra partium ſollicitat. Hinc *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 60.* notanter dicitur: **Was zu befördern geſucht wird.** Et *§. 70.* **Die alten Sachen / wann ſie beſchloſſen und annoch** in motu **ſind /** plane ad mentem *Ordinationis Tit. XII. §. 4.* *Mod.* Quoniam de cauſis extraordinariis ſermo incidit, non poſſum ſatis capere, quæ ſtatuit *Ordinatio part. 3. tit. 43.* ubi videtur Procuratoribus multum tribui in qualitate cauſæ diſcernenda. Hic vero non poteſt non exoriri contradictio, alter enim Procurator, qui in utilitatem ſui mandantis maturationem cauſæ non deſiderat, negabit eſſe cauſam ejus qualitatis. *Pomp.* Totus iſte *titulus 43.* cum pluribus aliis *Partis Tertiæ* hodie uſum non habet, poſt abolitos (indulgente hanc poteſtatem Collegio Camerali ipſa Lege, vid. *part. 2. tit. 38.* & *Receſſ. Imper. 1654. §. 88. & 94.*) per

Decre-

Decreta generalia Collegii Anno 1655. 30. Octobris, & *13. Decembris 1659. 9. Januarii 1660.* à Dominis Viſitatoribus Anno 1713. approbata, antiquos ordines inutiles. Omnium enim cauſarum ſive ordinariarum ſive extraordinariarum (privilegiatarum) in ordine proponendi per Procuratores obſervando, nulla amplius eſt differentia. *Mod.* Quare ergo iſti tituli in Codice Ordinationis retenti? *Pomp.* Quia Codex iſte conditus fuit Anno 1613. Ad novum vero ex ſequentibus legibus adornandum nulla fuit hucuſque ſollicitudo. *Mod.* Si pergere libet *in Tit. XI. §. 10. ſeq.* non perſpicio, quomodo interrumpi poſſet tempore longiori Relatio cœpta, niſi forte per morbum Referentis. Quis enim durante aliqua relatione eſſet peregre diſceſſurus? *Pomp.* Cum olim Relationes Actorum non paucis diebus, ſed pluribus menſibus imo annis abſolverentur, (qua de re in ſequentibus titulis) non eſt mirum hac lege cautum fuiſſe, ut interruptæ, quamprimum fieri poſſet, reſumerentur. Noſtro ſeculo Relationum cœptarum interruptio non fit per peregrinationem Aſſeſſoris cujusdam ex Senatu, (qui enim à principio interfuit, non dimittitur, niſi abſoluto negotio, vid. *part. 1. tit. 8. §. 7.*) ſed ex aliis cauſis, quæ hominum providentia cavere nequit, ex. gr. valetudinem alicujus, cumprimis Referentis, in cujus locum quouſque is vivit, niſi ipſe voluerit ex cauſa gravi, nullus alius ſurroga-

rogari debet. Cum vero tractationis interruptæ difficulter admodum detur repetitio, idque per multarum aliarum cauſarum interpoſitionem (feriari enim interim non licet) & negotiorum cumulum, cavendum erit, ut, ſi futura aliqua ſuſpenſio relationis prævideri poteſt, vel non ſuſcipiatur priusquam expediri poſſit continuato labore, vel exorto & ceſſante fortuito caſu, mox reſumatur. Verbis exponi non poteſt, quantum officiant Juſtitiæ curſui interruptiones Relationum cœptarum, ſtudiis quandoque & artibus litigantium tentatæ. Duplicatur labor Referentis, cum reliqui Domini, rerum quæ audiverunt, non ſemper meminerint. Mihi iſti caſus nunquam non fuerunt tædioſiſſimi. *Mod.* Quantum ego obſervavi in officio meo, accidere poteſt, ut, qui Acta refert, concludat ad definitivam, plurium vero vota ad interlocutoriam, nonne ſic ſuſpendetur cauſæ deciſio, & Relatio erit alio tempore repetenda? *Pomp.* Interlocutiones ſunt variæ. Earum quæ viſcera, ut ajunt, totius cauſæ tangunt, (incidentes enim articulos ipſe Referens non eſt neglecturus) ea eſt natura, ut repetitioni Relationis univerſæ opus non habeant, ſed compendio facto in memoriam revocari poſſint neceſſaria. Et interlocutorias ipſas ita formari jubet Ordinatio, ut quid deinde pronunciari debeat in eventum definitive, annotetur in Protocollo Senatus. *Mod.* In §. 12. prohibetur expreſſe, ne Judex Aſſeſ-

Aſſeſſores ſua interpellatione impediat in votis: ne inter ipſos Aſſeſſores alius alii ſit impedimento, vel non auſcultando vel contradicendo, vel alia ad præſens negotium non attinentia loquendo, legendo, ſermocinando. Huc etiam facere video *§. 15. hoc titulo.* Quæ tamen omnia, num opus fuerit prohibere, meum non eſt judicium: Crediderim tamen, viros tantos, etiam non monitos, hæc ſtudioſe caviſſe. *Pomp.* Sciendum tibi hic eſt *Primò*, Domini Judicis officium, in negotiis judiciariis, verſari in Actorum juxta Ordinationem faciendis diſtributionibus, & promovendis, ſi opus ſit, juxta eandem legem, relationibus. Reliqua pertinent ad officium Aſſeſſorium. Si ergo Dominus Judex recenſendo quæ ipſi quilibet litigantium ſuæ cauſæ ſerviendo inſinuaverit, in Senatu referre, & judicio ſuo ſermonibusque Aſſeſſorium munus impedire voluerit, (quod prudens quilibet cavebit) non ægre feret, ſi Aſſeſſores ea penſi non habendo, in referendo Acta & votando pergant nihilominus, vel etiam ſi opus, Domino Judici legem *hujus §. 12.* modeſte commendent. Quantum officiat negotiis, quantaque temporis, quod Senatui eſt deſtinandum, fiat jactura; ſi inter referendum & votandum quæcunque menti ſeſe offerunt, illico proferantur, & turbata ſic omnium attentione, expectetur reſponſio, facile eſt intellectu. Quæ ad negotium, quod ſub manibus eſt, non ſpectant, in aliud tempus

ſunt differenda. *Mod.* Aſſeſſoribus tamen licitum erit, ea, quæ ad rem faciunt eloqui & ſciſcitari? *Pomp.* Hoc erat *ſecundo loco* dicendum. Pro informatione in facto, & ad meliorem captum voti cujusvis, non licet modo, ſed etiam eſt quandoque interrogatio neceſſaria. De tali interpellatione non eſt Lex capienda, ſed de ea, legi adverſa, ſi quis ſenſu abundans, cogitationes ſuas, dum loquitur Referens, retinere non poſſet, & hunc in recitatione voti, ſenſu orationis nequidem percepto, turbaret, hoc enim non poteſt non eſſe odioſum, & ſi fiat ſæpius, intolerabile. Impeditur enim non ſolum Referens, ſed & alii auſcultantes cohærentem ſenſum percipere nequeunt. Judicis ergo officio abuſus talis prohibebitur. *Mod.* Non putarem fieri hoc poſſe datâ operâ ad turbandum Referentem, ceterosque ab ejus ſententia contradictione perpetua abducendos. *Pomp.* De data opera nihil affirmare auſim, poſſunt tamen eſſe aliqui ingenio adeo fervido, ut nihil quod ipſis non arrideat illico, audire poſſint patienter. Qui in negotiis eſt exercitatus, ardorem hunc ſilentio excipiet, & à ſcopo non dimovebitur, interim tamen ad patientiam interpellantem exhortabitur. Cautus non eſt, qui animi ſui ſententiam maturius prodit, quam exigit ordo votorum. Referens, ſi factum diſtincte ſatis non proponat, vel in voto non attingat id quod eſt in quæſtione, recte per Aſſeſſores reliquos monebitur. De ordine voto-

votorum ad *tit. 25.* eſt dicendi materia. *Mod.* Expecto jam explicationem *§. 13. & 14.* in quibus agitur de votorum ſcrutinio, **von der zweyten und dritten Umfrag.** Hæc res mihi eſt ſubobſcura, requiritur enim hic Domini Judicis vel Præſidis exacta & cauſæ & votorum intelligentia. *Pomp.* Jungendus hic eſt *Receſſ. Viſitat. §. 72.* Ardua omnino eſt hujus legis praxis, ſed caſu dato utiliſſima. Caſus non poteſt eſſe alius, quam ſi Aſſeſſores, qui Senatum conſtituunt, in materia difficili, vota reddunt in concluſionibus diſſidentia, in rationibus difformia vel ambigua. Ad concilianda ergo vota, & ex pluribus faciendum concluſum, tali opus eſt ſcrutinio. Eſt hoc in præcipuis officii Judicis vel Præſidis partibus. Is vero, ſi relationi conſtanter non adfuerit, vim etiam votorum intelligere non poterit, & ſic facilis erit in errorem lapſus. Fac etiam, tractationi cauſæ ſemper interfuiſſe Dominum Judicem, vel unum ex Dominis Præſidibus, (quod tamen, ubi in pluribus Senatibus Relationes expediuntur fieri nequit) opus eſt hic etiam Juris ſcientia, prudentia & experientia. Peccari poteſt hac in re duobus modis, *uno*, per ſcrupuloſitatem, vel ſi mavis, diligentiam nimiam: Facilius enim eſt turbare negotia, quam expedire: *altero*, per prætéritionem. Optime ergo faciet, qui utitur conſilio Referentis & Senatus. Referentis enim eſt annotare vota accurate. Et niſi occupaverit officium concluſionis

ſionis faciendæ Dominus Judex vel Præſes, ipſe Referens id faciet optime & absque errore, quem alioqui ceteri Domini non forent prætcrituri. *Mod.* Sequentis *§. 15.* ſuprà ad *§. 12.* meminimus. Obſervatione digna ſunt adhuc verba de officio Domini Judicis: **Solle allezeit die Wege ſuchen und vornehmen / dadurch zwiſchen denen Beyſitzern keine Spaltung entſtehen / ſondern gute Freundſchafft und Einigkeit erhalten / aller Unwillen verhütet / und abgeſchnitten werde.** *Pomp.* Optime obſervas. Abuteretur enim officio ſuo Judex, ſi inter Aſſeſſores exorientibus forte ſimultatibus, ipſe ignem ſufflare, diviſiones callide inſtruere, & quibuscunque ſuſpicionibus aures præbere voluerit. Nemo ſic tutus erit in officio, neque defuturi homines animi Domini Judicis exploratores, atque ex ejus facilitate commodum aucupantes. *Verſiculus 16. hujus tituli* ſatis eſt perſpicuus, neque noſtro tempore differuntur vota, niſi ob gravitatem materiæ, conſenſu Senatus, dilatione ſit opus; quæ eſſe ſolet trium dierum vel pauciorum pro re nata. In *Verſiculo 17.* verborum vis & poteſtas eſt tenenda, ne ſcilicet ſententiæ juxta concluſum pronunciandæ conſtructio diu differatur. Opus eſt interdum Referenti (huic enim hic labor incumbit) ſtudio magno & induſtria in elaboranda ſententiæ formula, verbis claris, bene tamen compoſitis, ſignificantibus, & phraſibus materiæ atque ſermonis indoli adæquatis. Tantum abeſt,

ut

ut fieri hoc poſſit in omnibus cauſis è veſtigio, ante diſceſſum ex Senatu: Qui proinde, ſi Referens eſt paratus, rurſus congregatur. Subſcriptiones autem Referentium ideo neceſſariæ non ſunt hodie, quia adſunt Senatui Notarii, jurejurando Camerali obſtricti, per quos & vota & concluſum & ſententiæ in omnibus cauſis Protocollo Senatus inſeruntur. *Mod.* Intellexi hæc omnia. Jam video *§. 18. 19. 20.* de alia agere materia, nimirum de ſupplicationibus ſive libellis rogationum expediendis. *Pomp.* Hos & ſequentes Verſiculos uſque ad tituli finem brevibus abſolvemus. Nam de ſupplicationum ſive extrajudicialium rerum expeditione agitur infrà *Tit. XIII. & Tit. XXII.* pluribus. Quod ſtatuitur *§. 18. 19. 20.* de tempore expediendorum libellorum extrajudicialium, ad antiquum morem pertinet decernendi proceſſus juxta petita qualiacunque, dummodo in formalibus nihil deſideraretur. Hodie vim & poteſtatem legis conſideramus magis. Cum enim libelli tales exhibeantur quotidie & diſtribuantur, non poteſt non fieri, ut aliqui, cumprimis in recurrentibus negotiis, perveniant ad Senatum occupatum tunc in Relatione rerum judicialium ſive ſententiarum, quæ interdum per aliquot dies, imo ſeptimanas extrahuntur. Ne ergo negotia, quæ ſub incude ſunt, turbentur, neceſſe eſt, ut extrajudicialia quieſcant interim & ſeponantur. Proinde tota hæc legis diſpoſitio vel ad numerum multo

Digitized by Google

majorem Aſſeſſorum reſpicit, vel hodierno ſtatui accommodari non poteſt. Quod *§. 20.* ſtatuitur, non negligitur hodie, ſcilicet inſcriptio Decretorum, non per Aſſeſſores, ſed per Notarios facienda. Supplicationes omnes non immediate porriguntur Domino Judici, ſed Cancellariæ, & inſcribuntur Protocollo rerum exhibitarum. Si ergo, quod ſæpius animadvertimus, ſupplicatio aliqua ex Cancellaria tardius, quam fieri debebat & poterat, ad Senatum defertur, mora expeditionis non erit Aſſeſſorum. Non etiam, ſi per Directorem ipſum ſteterit, quo minus ad proponendum libellum ſupplicem, Senatus in conveniente numero & ordine convocetur. Ille vero invita omnino Lege expeditionem ſupplicationum impediturus eſſet pro arbitrio ſuo, v. gr. jubendo eas ſeponi, neque ad Senatum deferri: Tale arbitrium Leges Directori non dederunt. Sequentes *§. 21. & 22.* hodierno ſtylo, qui in tempore Audientiarum publicarum ab antiquo multum differt, non amplius congruit. Neque enim Senatus frequentantur poſt meridiem: Neque tantus poteſt eſſe numerus ſententiarum unaquaque die juridica, ut aliquarum prælectio & publicatio ob temporis anguſtiam ſit ſuſpendenda. *Mod.* Juxta literam horum verſiculorum putares Domino Judici & Aſſeſſoribus nequidem prandii tempus ſupereſſe. *Pomp.* Hodie poſt concluſam ſententiam, & elaboratam atque approbatam formulam, in pri-

ma

Digitized by Google

ma Audientia pro arbitrio Domini Judicis & Senatus publicatur, vel ſuſpenditur, uſque dum plures ſententiæ ſimul publicandæ ſint paratæ. Tempore antiquo innumeræ erant ſententiæ interlocutoriæ, quibus hodie poſt mutatam proceſſus formam & Ordines Audientiarum, opus non habemus. Sententiæ omnes pomeridianis horis publicandæ in Pleno prælegentur ante meridiem, finito Senatu. Tandem, quod *§. 23. hujus tituli* de perluſtratione Protocollorum ſtatuitur, opera hac peculiari & qualibet die Saturni ſuſcipienda, cum detrimento Senatus ordinarii, opus non eſt. Nam in ipſa Actorum judicialium tractatione iſti defectus obſervantur & tranſgreſſores mulctantur.

Mod. Pervenimus ad *Tit. XII.* in quo de diſtributione Actorum agitur per Dominum Judicem facienda. *Tit.XII* Puto autem te in Colloquio noſtro primo aliqua ad hunc titulum obſervanda monuiſſe. Differentiam cauſarum, quæ in principio tituli dicuntur *Sabbathina*, & *in §. 1.* leviores ſubmiſſiones, die am Beſcheid-Tiſch unverzüglich expedirt werden ſollen / me nondum intelligere fateor. Num hæ ab Aſſeſſore uno, an vero duobus, vel pluribus: an in loco ſeparato ab aliis Senatibus: & quonam tempore? *Pomp.* Faciam ut intelligas omnia. Conferre hic oportebit ex *Receſſu Viſitat. Noviſſ. §§. 76. 78. 79.* juncto *Receſſu Imper. Noviſſ. §. 144.* Primo dicam de iis, quæ appellantur Beſcheid-Tiſch-Sachen. Variæ nominantur ſpecies

cies in textu, non tamen omnes. Quod collige ex verbis: Was dergleichen mehr ſeyn mögen. Qualitas generalis iſtiusmodi cauſarum eaque certiſſima eſt, ſi absque longa indagine ex Protocollo Actorum, adhibita tamen, ubi opus eſt, perluſtratione proceſſus reproducti & quorundam ſcriptorum, decidi poteſt quaſi ex tempore aliqua quæſtio. Ad hanc ergo claſſem pertinent *Proclamata: Sententiæ terminum præfigentes: Actoria ſimplices: Commiſſionis poſt utriusque partis conſenſum Decretoria: Litis conteſtatoria: Compulſorialium: Legitimatoria: Publicationum Rotuli, vel Actorum priorum: Paritoria ſimplices*, h. e. ad maturationem exceptionum, quas Reus comparens differt nimium & cum ſtudio, facientes, *Condemnatoria in cauſis debiti liquidi & confeſſi*, ubi non aliud ſupereſt officium, quam in Reo condemnando. Ubicunque ergo deductio prolixior vel facti vel juris eſt neceſſaria, non pertinet cauſa ad claſſem ſubmiſſionum leviorum, ſed vel ad definitivas, vel Sabbathinas, de quibus agitur in tituli principio. Quandoquidem vero faciliorum illarum expeditionum maturatio eſt omnino neceſſaria, & toto die tales augentur, optandum foret, ut & numerus operariorum Juſtitiæ adeſſet ſufficiens, & ædificium, in quo ſedes eſt Judicii, ita comparatum, ut locus daretur, in quo iſtiusmodi Acta poſſint reponi. Unius Aſſeſſoris non eſt negotium, ſed minimum duorum, rectius

trium,

Digitized by Google

trium, quia totius Collegii nomine fieri debent ſententiæ, etiam leviores. Non neceſſe eſt, ut menſæ illi accumbant Aſſeſſores, in qua pro multitudine rerum Acta iſtiusmodi ſunt repoſita, ſufficit congregari in loco ab aliis Senatibus ſeparato. Hinc *in Receſſ. Viſitat. §. 37.* cavetur expreſſe, ne in uno conclavi ſedere debeant duo Senatus diſtincti. *Mod.* Quomodo hoc antea fieri potuerit, ego non capio. *Pomp.* Ob anguſtiam ædificii neceſſitas exigebat, ut duo Senatus eſſent in conclavi uno, quorum alter ſuperiorem partem menſæ occupabat, alter inferiorem. Et exiſtimabatur hoc habere commodum, ut conjungi poſſent uterque ad formandum Senatum definitivarum; vel ſi tres negotium invenirent difficilius, ut conſuli poſſent reliqui. Ego quidem, qua uſi ſint moderatione vocis in legendo & loquendo, ne alter ab altero turbaretur, neſcio. Noſtro tempore, cum aliqui ſint voce ſatis perſonante, aliqui ne minimum quidem ferrè poſſint ſtrepitum, talis conjunctio Senatuum plane videtur intolerabilis. Eſt tamen hodie incommodum aliud, quod in cauſis recurrentibus experiamur tardiorem convocationem Senatus prioris, & per alia negotia impeditam. *Mod.* Jam vero in Comitiis novum & ſpatioſum ædificium Camerale exſtruendum eſſe in urbe Wetzlarienſi, concluſum fuit. *Pomp.* Scio. Sed dum pecuniæ numerabuntur & exſtructa erit Curia, quot putas tranſituros annos?

Mod. Memini quidem, etiam in aliis negotiis præſtationes univerſales intra terminos Concluſi Comitialis manſiſſe, & rerum communium non eſſe curam eam, quam habent ſinguli in propriis; Hac in re tamen non defuturos Status Imperii exiſtimo, neque paſſuros, ut videantur minori curæ ipſis eſſe Judicium Cameræ, quam Imperiale Aulicum. *Pomp.* Si etiam pacem Reipublicæ largiatur Deus. Nimium digredimur à noſtro Titulo. Quænam Acta in levioribus ſubmiſſionibus ſint inſtructa, Aſſeſſoribus eſt ignotum hodie, niſi indicetur à Procuratoribus, vel ipſi Referenti ordinario poſt Sententiam definitivam ad ejusdem effectum decernendum aliquid occurrat expediendum, v. gr. Paritoria ad Sententiam, Mandatum de Exequendo & ſimilia. Licet enim tales Sententiæ ad claſſem leviorum deciſionum referri poſſent, eas tamen non occupat alius quam Referens ordinarius. *Mod.* Ergone hæc Ordinationis veſtræ pars in praxin deducta non eſt hucuſque? *Pomp.* Memoriæ eſt proditum Spiræ olim fuiſſe aliquam menſam, cui nomen des Beſcheid-Tiſches/ abuſum vero quandoque interceſſiſſe. Ceſſare penitus Legem exiſtimare non debes. Quæ fieri non poſſunt exacte ad normam præſcriptam, obſervantur tamen quantum permittit ratio temporis, rerum & perſonarum. *Mod.* Quomodo vero? *Pomp.* Procuratorum cura eſſe debet, ut ſollicitent expeditiones der Beſcheid-

Tiſch-

Tiſch⸗Sachen / & tunc Aſſeſſori cuilibet, ſi per multitudinem aliorum Actorum, quibus in diſtributione onerantur, fieri poteſt, liberum erit Acta iſta ex Lectoria poſcere, etiam injuſſu Domini Judicis, quia diſtributio neceſſaria non eſt, imo vetita. Sabbathinarum cauſarum diſtributio Domini Judicis relinquitur officio. *Mod.* Qualem vero mihi antea indicabas abuſum ex menſa leviorum ſubmiſſionum exortum? *Pomp.* Menſa iſta impletur non per Aſſeſſores, ſed per Lectores ſive Archivarios Camerales. Hi vel ex ingenio ſuo, vel inſtinctu partium & Procuratorum, Acta ibi deponere poſſunt ad claſſem leviorum ſubmiſſionum non pertinentia, ſed quorum diſtributio per Dominum Judicem fieri deberet. Hinc uſu receptum fuit, ut ſi Aſſeſſorum aliqui menſam iſtam viſerent, & Acta eo non pertinentia offenderent, notarent ea ſigno Crucis ✠ ad Lectoriam remittenda. Jam vero per *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 79.* Acta ad claſſem Sabbathinarum duabus Crucibus ✠✠ notanda eſſe præcipitur, ad diſtinctionem cauſarum definitivarum. *Mod.* Si ergo menſa talis inpræſentiarum non eſt neque conclave, qua ratione fieri poterit iſta diſtinctio per Signa Crucis? *Pomp.* Non aliter, quam ſi per Procuratores cauſa aliqua pro deciſione leviori commendetur, vel etiam per Lectores, ut tunc viſis Actis, id quod facto opus eſt, fiat, obſervando Legem Viſitationis *§. 78.* Proclamata quæ

Digitized by Google

petuntur, indicare ſolent Procuratores apparitoribus. Horum enim eſt, facto Decreto, citatos non venientes apertis feneſtris proclamare. Quo citius ergo floreno pro Proclamate ſolvendo fruantur, curam habent ut Protocollum compleatur & ad manus Aſſeſſoris cujusdam perveniat, qui ea in re libenter faciat officium in Senatu. *Mod.* Ergo hodie omnia iſta negotia peraguntur in Senatu ordinario extrajudicialium? *Pomp.* Ita eſt, donec creſcat numerus Senatorum & celebrius ſit Judicio Imperiali ædificium. *Mod.* Jam expecto informationem de *Sabbathinis*. *Pomp.* Recenſentur claſſes in principio tituli, Sententiarum in quæſtionibus *declinati Fori*, *accuſatæ Deſertionis*, *Non-Devolutionis*, *Supplicationum*, *Inhibitionum*, *admittendorum Articulorum*, & ſimilium, **darin nicht ſonderes Nachdenckens vonnöthen** / hoc eſt comparate intelligendum, cum Relationibus gravioribus definitivis. Hæ omnes dicuntur *Sabbathina*, quia die Sabbathi expediendæ. Addendæ etiam ſunt cauſæ Fiſcales juxta *§. 5.* infra, *in Receſſ. Viſitat. §. 76.* ubi obſerva, omiſſam eſſe ſpeciem admittendorum Articulorum vel rejiciendorum, quia per *Receſſ. Imper. Noviſſ.* Libelli articulati ſunt abrogati, adeoque quamplurimæ Sententiæ de iſtis articulis ferendæ, multi etiam tituli Partis III. Ordinationis ceſſarunt. Omnes hæ Actorum ſive Concluſionum ſpecies per Dominum Judicem inter Aſſeſſores diſtribuuntur.

Mod.

Digitized by Google

Mod. Putabam ego materiam *Supplicationum* pertinere ad extrajudiciales cauſas, non vero ad Sententias. *Pomp.* Bene quæris, & notabis, exiſtere interdum caſus Supplicationum in ipſo curſu litis extrajudicialiter exhibitarum, ſed ad Judicium, h. e. ad Acta per Decretum Senatus remiſſarum, cum adjuncto termino ad reſpondendum. (Eſt enim hoc valde utile.) Quotiescunque ergo ad petita ejusmodi libellos, Sententia eſt ferenda, pertinebit hæc ad claſſem Sabbathinarum. Eſt ea de re *titulus 44. part. III. Ordinationis*, licet ibi ex antiquis ordinibus & terminis aliqua ſint immixta, ad hodiernum ſtatum non pertinentia. *Mod.* Tota ergo dies Sabbathi, ſive horæ Senatui deſtinatæ ad Sabbathinas impenduntur? *Pomp.* Si hoc Dominus Judex ita ordinaverit, alias expedientur iſtiusmodi Acta diſtributa tempore in Senatu condicto, & retinebunt nomen ex qualitate deciſionis. *Mod.* Si in horis Senatus conſuetis die Sabbathi relatio talis non abſolvitur, licebitne continuare die ſequenti juridica? *Pomp.* Per Legem *Viſitat. §. 76.* non licebit, ſed in proxima die Sabbathina erit continuandum: Hoc vero quomodo ad praxin deduci poſſit, ut etiam Aſſeſſorum & animi & memoria per alia interim interpoſita negotia, noviſſimæ Relationis Sabbathinæ meritorum recordentur, neque ab ovo Relatio ſit incipienda, ego nondum ſum expertus, neque publicæ rei aliquid deceſſiſſe novi, ſi

die ſequenti juridica materia cœpta fuerit continuata. *Mod.* Diſtributionem cauſarum in definitivis decidendarum (venio ad *§. 2.* tituli) quavis die Sabbathi, juxta præſentem Collegii ſtatum fieri non poſſe, ex primo noſtro Colloquio memini: Reliqua tamen in hoc §. contenta, ſalutaria eſſe arbitror. *Pomp.* Quod de diſtributione Actorum in hoc titulo legitur, an unquam antea ad uſum perduci potuerit, dubito; & dixi ſatis ea de re in Colloquio primo. Statuuntur quandoque in Legibus judiciariis, quæ, ſi conditores earum Judicio adſediſſent, ipſi aliter fuiſſent explicaturi. Ceterum recte obſervas in diſtributione Actorum cavendum eſſe, ne Aſſeſſori in gravioribus & diffuſis cauſis occupato tradantur Acta nova pari prolixitate aut labore. Sic enim aut quieſcet recentior diſtributio, aut impedietur præcedens: Neque etiam Aſſeſſori per valetudinem aut alias cauſas impedito. Exploratæ eſſe debent Domino Judici uniuscujusque vires & ſolertia, neque is functus erit officio ſuo, ſi Acta traderet in manus Referentis, à cujus induſtria expeditio vel non ſperanda, vel longiſſimo tempore. Hoc volunt verba *§. 2. in fine*: **Daß die Partheyen in ihren Sachen nicht verkürtzt / vernachtheilt / oder beſchwehrlicher Weiſe aufgehalten werden.** *§. 3.* Repetuntur quæ præcedente titulo dicta fuerunt *verſiculis 6. 7. 8. 9.* In *§. 5.* mentio fit cauſarum Fiſcalium & de Exemtionibus, Contributionibus Imperialibus,

& pro

& pro auxiliis contra Turcas. Hæ ad Sabbathinas referuntur tanquam celerioris expeditionis. Sciendum autem eſt, Legis hujus partem ad ea tempora pertinere, in quibus Camerale Judicium erat in Imperio unicum conſenſu Imperii Statuum conſtitutum, quo confluebant omnes controverſiæ in Imperio, quæ in via Juris eſſent decidendæ. Neque enim alia erat cauſa *Remiſſionum* per Imperatores ad Camerale Judicium factarum. Collectarum Imperialium materia (exceptis iis, quæ ad ſuſtentationem Cameræ pertinent) hodie rarius eſſe ſolet objectum Judiciorum Imperii, vel officii Fiſcalis. Exemtionum cauſæ olim fuere plures, hodie pauciores. In §. 7. jubetur Dominus Judex ipſe tradere Acta Aſſeſſoribus. Quod tamen poteſt fieri brevi manu per ſchedulam, in qua rubrica Actorum cum nomine Referentis ſit expreſſa. *Verſiculus 8.* explanatione opus non habet. *Mod.* Sequens, qui eſt *nonus*, & §. 14. non videntur ſatis congruere cum præcedentibus, niſi imaginer mihi, in Archivo Camerali nulla Acta aſſervari, quæ non etiam inter Aſſeſſores ad referendum ſint diſtributa, vel juxta ſuperiorem §. 2. mox diſtribuenda. *Pomp.* Nimirum anticipatur hac Legislatione (quod ex *Tit. I. princ.* & *Tit. XIV. princ.* eſt apertum) numerus Aſſeſſorum permagnus, qui olim breviſſimo tamen tempore extitit, jamdudum vero deſiit. Et cum nihilominus Domini Judices (cumprimis, qui hoc

hoc officium noviſſime ingrediuntur) multorum ſollicitantium petitis ſatisfacere velint, quandoque etiam exiſtiment, negotia citius expediri poſſe & facilius, quam experientia docentur; Factum hinc eſt, ut de numero Actorum diſtributorum exiſtant hodie Aſſeſſorum querelæ, de quibus diſſerui in Colloquio noſtro Primo, vide *Receſſ. Viſitat. 1577. §. 18.* *Mod.* In *§. 11. 12. 13.* videtur mihi ſtatui nova diſtributio, quotiescunque ad eadem Acta ſententia eſt ferenda. *Pomp.* Imo vero nova diſtributione opus non eſt, ſed qui ſemel conſtitutus eſt Referens, non mutatur, niſi ex cauſa admodum gravi vel neceſſaria. Ergo quamprimum poſt interlocutoriam, vel etiam definitivam, (de levioribus deciſionibus der Beſcheid-Tiſch-Sachen aliud ſentiendum) rurſus aliquid agendum occurrit, hoc ipſum conſtitutus Referens curabit, quamprimum ipſi innotuerit. Connexas vero cauſas non niſi per errorem inter diverſos & Referentes & Senatus diſtribuet Dominus Judex. Adhibe hic *Receſſ. Viſitat. §. 47.* *Mod.* Quod dicitur *§. 15.* de affectu erga cauſam, ſi de cognatis intelligitur, clarum eſſe video; Si vero generaliter de amicis, videtur mihi eſſe campus ampliſſimus ſuſpicionum, variumque Juſtitiæ impedimentum. Neque enim à ſolo Referente deciſionem dependere puto, ſed à Senatu. Illum vero haud dubie proſpecturum, ne quidquam amoris erga cauſam vel partem imputari poſſit ſibi. *Pomp.* Non eſt accipien-

piendus textus de amicitiis, quæ ſunt inter homines communes, ſed de peculiaribus & notoriis, neque ſufficit hic allegatio partis aut qualiscunque recuſatio, poſt factam diſtributionem. Iſta enim foret cum detrimento Juſtitiæ conjuncta. Unde *in Receſſ. Viſitat.* hæc quæſtio non eſt relicta arbitrio Domini Judicis, ſed adſtringitur ad conſilium Præſidum & Aſſeſſorum, vel etiam Collegii pleni, *Receſſ. Viſitat. §. 67. Mod.* Quæ *in §. 16. & 17.* necnon *Tit. XXV. princ.* de duobus Referentibus, primo & ſecundo, in omnibus cauſis gravioribus conſtituendis leguntur, orta ſunt, ni fallor, ex protheoria majoris, quam qui eſt, Aſſeſſorum numeri. *Pomp.* Non male ratiocinaris. Neque etiam numerus XXV. Aſſeſſorum hic eſt ſuffecturus pro multitudine cauſarum & laborum. Magna enim eſt differentia, an aliquis in ordine Correferentis domi Acta perlegere, excerpere, & votum pari cum Referenti primo induſtria concinnare debeat, an vero auſcultando relationem, Actaque cum iis quæ à Referente proponuntur conferendo, & neceſſaria annotando, (licitum enim hoc eſt, imo præceptum per Leges noſtras, & noviſſimam *Viſitat. §. 74.*) votum conſcribat. Perperam credunt rerum imperiti, ex Referentis ſolius voto fieri deciſionem, eique absque ulteriori inquiſitione credi. Hæc fiducia an in aliis Judiciis obtineat, mihi ignorare licebit; Inter nos vero, quæ recitat Referens, ex Actis probare de-

debet, & documenta publice legenda proferre. Proinde re ipſa omnes Aſſeſſores ad Senatum conſtituti Conreferentium munus obeunt, vel ſaltem plerique. Solent litigantes, qui moram deciſionis exoptant, cum relationem inſtare credunt, petere Correferentem, quod tamen prudentia Domini Judicis declinabit, neque niſi ex graviſſima cauſa petitis iſtiusmodi facilem ſe præbebit. Sunt cauſæ, in quibus plerumque Correferenti ſpecialiter conſtituto informatio ex Actis à Directore demandatur, interdum ipſo Referente primo id monente. Tales ſunt majoris momenti cauſæ inter Status Imperii, vel ſi partes litigantes ſint diverſæ Religionis, vel ſi partium aliqua *in tempore* alterum Referentem poſtulaverit. De paritate enim judicantium lex eſt ſatis clara *Artic. V. Inſtrum. Pac. Weſtphal. §. 54. & 56.* Sed contra mentem legis peccaſſe interdum Judices vel Directores Collegii, qui Referentes ſecundos conſtituerunt cum relatio Actorum inſtaret, vel eſſet cœpta, vel poſt ſententiam definitivam, ubi de paritione tantum fuit quæſtio, indicio eſt Lex *in Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 67.* Gravis enim hic foret ſuſpicio ſtudii partis alterutrius, quæ deciſionem exoptat procraſtinari. *Mod.* Nihil ergo intererit, quicunque conſtituatur ſecundarius Referens? *Pomp.* Eandem cautionem adhibebit Judex, quæ neceſſaria eſt in electione Referentis. Quæ vero *in §. 17.* de patria utriusque Referentis diverſa obſervanda legun-

Digitized by Google

guntur, ſi mens non fuerit Legiſlatorum, ut alter ab altero diſceret, ad praxin vix deduci poſſunt, niſi etiam hanc perſonarum qualitatem obſervaverint Domini Præſentantes. Et quis poterit eſſe ſponſor, ne exoriatur contradicendi conſuetudo? Videtur derivari hic verſiculus *ex tit. 2. §. 9.* de quo dixi *in Colloquio præcedente Secundo.* Omnia potius prudentiæ Domini Judicis ſunt relinquenda. Qui tamen adjungendo Referenti veterano Correferentem Aſſeſſorem novitium, diſpoſitionem Legis *§. 16.* & *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 67.* inverteret, graviter etiam erraturus, ſi exiſtimaverit, ad contradicendum conſtitui Correferentem, non vero, qui verus eſt Legis ſcopus, accurationis majoris gratia in exponendis Actis, vid. *Receſſ. Imper. 1654. §. 145. in fine.* Atque ut fiat tempore debito, *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. dicto §. 67.* *Mod.* Quo pacto vero ſciet Dominus Judex cujusvis Aſſeſſoris in elucubrando Acta majoris momenti vires, cum neſciat materiæ in Actis tractatæ gravitatem? *Pomp.* Veriſſimum eſt, quod ex mole Actorum de gravitate fallax ſit judicium, cumprimis Actorum appellationis. Pleraque hic in prioribus Inſtantiis ſunt ad perſpicuitatem deducta. Sæpius etiam Acta priora ad ſumtus deſcriptionis augendos inutiliter cumulata. Verum etiam eſt, quod merita cauſæ cujuscunque Domino Judici cognita eſſe nequeant. Proinde non errabit, ſi de materia quantum fieri poteſt, ali-

qualem capiat notitiam, deinde, ſi de diſtributione agitur, cum Præſidibus & Aſſeſſoribus nonnullis expertis, ubi dubitat, communicet. His enim inter ſe magis cognitæ ſunt, quam Domino Judici, uniuscujusque virtutes & induſtria. *Mod.* Si per *§. 18.* quilibet Referens conſtitutus Acta domi ſuæ aſſervare tenetur, & diſtributionum numerus tantus eſt, quem ex ſermonibus tuis percepi, totum fere Archivum Camerale erit vacuum & Actorum volumina in Aſſeſſorum ædibus. *Pomp.* Hoc igitur ne fiat in tam frequenti diſtributione, præſtat Acta brevi manu copioſe diſtributa relinquere in cuſtodia Lectorum, donec Referens ſuſcipiat elaborationem. Aſſeſſorii enim non eſt officii Acta cuſtodire, ſed elaborare. *Receſſ. Viſitat. §. 69.* intelligi debet, ſi etiam in diſtributione modus fuerit obſervatus. Atque ita explicatos dedi *§§. ſequentes 20. & 21.* *Mod.* Non puto prætereundum eſſe *§. 19.* qui obſcuritate mihi laborare videtur. Quo pacto enim Acta in Senatu relata, concluſione facta, ad novam deduci poterunt relationem? *Pomp.* Crediderim Legis hujus cauſam fuiſſe à cujusdam ex priſcis Judicibus abuſu, qui, ſi obſervaverit vota Aſſeſſorum intentioni vel ſuæ vel à litigantibus ipſi inſinuatæ non congruere, ſuſpenſa concluſione vel etiam ſententia, cauſam per alios tractari voluere. Officium Judicis non eſt dicere votum ſuum in Senatu, ſed ut Aſſeſſorum quisque munere ſuo fungatur, diſpicere.

Ho-

Horum eſt de cauſis judicare. Proinde Relatione peracta & votis redditis, ex quibus concluſio fieri poteſt legitime, hæc ſuſpendi non debet, neque Sententiæ publicatio impediri. Quodſi ex votorum ambiguitate non liqueat concluſum, remedium erit ex *præced. Tit. XI. §. 13. 14.* vel ſi per diverſitatem & numeri æqualitatem, conſilium erit ab adjunctione aliorum. De qua in certis cauſis celebris eſt Lex *Inſtrum. Pac. Oſnabrug. Artic. V. §. 56.* Habuiſſe tamen Dominos Viſitatores cauſam repetendi *§. 19.* tituli præſentis, ex *Receſſu Viſitat. §. 36.* patet. *Mod.* De Regiſtris *verſiculo 22.* repetita eſſe video, quæ in ſuperioribus dicta abs te & explanata fuere. Quæ in *§. ultimo* leguntur, niſi olim ea in re peccatum fuiſſet, prohibitione opus non erat. *Pomp.* Omnis iſtiusmodi declaratio Domini Judicis nimiam ſaperet erga partes litigantes indulgentiam. *Mod.* Dari ergo inter vos Dominos etiam Referentes indiligentes, ex hoc verſu colligitur. *Pomp.* Non ſequitur dari inpræſentiarum, (de priſtino tempore non eſt hic locus diſſerendi) ſed exiſtere fortaſſis poſſe. Neque etiam indiligentiam intelliges de pigritia, ſed de fortuito caſu valetudinis aut ætatis. Mutantur cum annorum numero, corporis infirmitates, adderem quoque; per adverſitates mores hominum, ſtudia, induſtria, in laboribus alacritas, ingenium, omnis denique agendi vivendique conſuetudo. Patientiam hic unusquisque exer-

 ceat,

ceat, quam ſibi ab aliis tali caſu exoptat. *Mod.* Puto me percepiſſe omnia; & abſolvere nos poſſe ante
Tit.XIII. prandium *Tit. XIII.* qui paucis verſiculis agit de diſtribuendis à Domino Judice Libellis Supplicationum. *Pomp.* Quæ hic in principio traduntur de ciſta, in qua Supplicationes expediendæ aſſervari debeant, an unquam ad uſum pervenerint, dicere non poſſum. Hoc certum, quod tempore noſtro talis ciſta non exiſtat, neque fortaſſis ut ſit, foret utile. In Cancellaria Camerali exhibentur Libelli per Procuratores, qui etiam inſcribunt diem. Eſt Notarius, qui in libro peculiari annotat, & ad Dominum Judicem defert hora decima, à quo diſtributio fit illico inter Aſſeſſores, exceptis iis, qui aliis negotiis gravioribus ſunt occupati. Et ne cuiquam mora imputetur, inſcribit etiam Notarius diem, quo ſupplicatio fuit in Senatum delata. Fieri enim poteſt, ut alia quædam antecedentia ſint evolvenda, & propterea tardius perveniat ſupplica ad Referentem. *Mod.* Itane vero in arbitrio erit Notariorum, quando commodum ipſis fuerit præcedentia evolvere, & libellos rogationum ad Senatum deferre? *Pomp.* Quæ Procuratoribus cum Decreto inſcripto redduntur, ipſi ſupplicationi novæ addere ſolent & debent. In aliis Actis evolvendis expedire viſum eſt, ut arbitrio Referentis & Senatus relinqueretur, an neceſſarium ſit ea ex Lectoria poſtulare. Tanto minor ergo debet eſſe mora in transferendo Libel-

bellos ad Senatum. Neque enim ideo, quod Procurator inſcribat, addenda eſſe aliqua Acta, ſequitur, quod eorum evolutio ſemper ſit neceſſaria. Sufficit enim, ſi ſciat Notarius, per quem ex Aſſeſſoribus ſupplicatio aliqua ſit expedienda. Hic plerumque eſt ſcopus inſcriptionis: *Addantur Acta &c.* ut ſcilicet ſupplicatio tradatur eidem Referenti, qui in iſtis laboravit. *Mod.* Ergo perinde non eſt, cui ex Dominis ſupplicæ diſtribuantur. *Pomp.* Multum intereſt. Ratio enim poſtulat, ut eidem Aſſeſſori tradatur ſupplicatio iterata, qui in eadem cauſa antea referendo fuit occupatus. Et cum in Cancellaria nomina Referentium annotentur, ſolent Notarii in cauſis extrajudicialibus recurrentibus nomen Referentis libello cera adglutinare, ut abſque impedimento (qua de re ſupra dixi ad *§. 20.*) per Dominum Judicem diſtributio fieri poſſit. Novas cauſas ipſe, cui voluerit, diſtribuet. *Mod.* Ubi ergo aſſervantur Libelli Supplicationum ante expeditionem? *Pomp.* Diſtributas penes ſe retinet Referens, donec tempus habuerit eas expediendi. Et cum per *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 65.* injunctum ſit Aſſeſſoribus, ut pro compendio temporis ſummam rerum extrajudicialium domeſtico labore ſcripto comprehendant: Hoc ipſo ciſta aliqua pro aſſervatione Supplicationum in Senatu opus non erit, & quot, quæſo, hic fieri oporteret ciſtas, quas etiam minora, quæ ſunt, Senatuum conclavia non caperent?

Mod.

Digitized by Google

Mod. Omnes verſiculi reliqui hujus tituli agunt de tempore expediendarum Supplicationum, de quo cupio informari, nam poſtmeridianos Senatus, de quibus *§. 3.* in uſu non eſſe audivi. *Pomp.* Cauſas abolitorum Senatuum horis poſtmeridianis, intelliges ad titulos ſequentes. Expediuntur hodie extrajudicialia in Senatu ordinario, quotiescunque eſt vel intervallum aliquod & reſpiratio à judicialibus, vel in mora periculum. Horas perpetuas ad iſta negotia non habemus, neque exiſtimo voluiſſe hoc Legislatores. Plerumque non in omnibus Senatibus tractantur judicialia, h. e. Sententiæ ferendæ, reliqui ergo Aſſeſſores interim occupabuntur in expediendis Supplicationibus. Plura de hac materia dicenda occurrent infra ad *Tit. XXII.* Evolve interim *Receſſ. Viſitat. §. 63. 65. 74.* De expeditione vero Proceſſuum decretorum *§. 48.* Sentio jam tempus prandii. Eamus unâ, ſi placet, ad Mæcenatem, qui nos invitavit. Mallem ſane philoſophico tecum frui prandio, confabulationibus utilibus & familiaribus condito, quam aromatis & potulentis largioribus. Soletne Mæcenas veſter fœcundis calicibus delectari? *Mod.* Ut ſunt ei hoſpites. Tibi, Domine, libertas relinquetur. *Pomp.* Eſtne negotiorum publicorum peritus, literatorum fautor? *Mod.* Dubitasne de Conſiliario Principis primo & omnium negotiorum Directore? *Pomp.* Equidem non dubito, ſed ex te certior fieri

gra-

gratum mihi erit, cum mihi à priſtino tempore non ſit notus. Non eſt novum, gratiam Principum multum valere in adſciſcendis Miniſtris: Dari etiam, qui laboribus aliorum officii gloriam quærunt ſui, & adipiſcuntur. Ego in generaliori ſermone me continebo, prout res feret. *Mod.* Ages ergo pro tua prudentia.

COLLOQUIUM SEXTUM.

Mæcenas: Pomponius: Euſebius: Proculus: Cornelius: Modeſtinus.

MÆcen. Tandem videre te & amplecti licet Pomponi. Salvum te eſſe, gaudeo. Peregrinationem vero tuam animi gratia fieri credideram: Sed tu cum Modeſtino noſtro, ut audio, muſæo incluſus, res ſerias tractare cœpiſti. Eas ut hodie relinquere & curis tuis prandii gaudia cum amicis interponere velis, rogo. *Pomp.* Non fuit, Domine, conſilium meum, ut honorem tibi debitum differrem ad benevolam tuam invitationem; neque enim huc veni negotiorum gratia, aut quidquam, quod ſit moleſtum, hic loci petiturus. *Mæcen.* Tanto es nobis acceptior. *Pomp.* Sed, ut amicos veteres, & in iis Modeſtinum, inviſerem, cum quo ad

ſerias meditationes fortè delapſus, conſtanti ejus deſiderio ſciendi aliquid de Judicii Imperialis Cameræ ſtatu, ſatisfacere volui: tum vero tuum, Domine, ea, qua par eſt, obſervantia petere alloquium. *Macen.* Non dubito veteris amicitiæ Jura vos inter coli, ſuſcipies mecum hodie novam. Introëamus, ſi placet, ad convivas reliquos, dum paratæ ſint dapes. Facundia hoſpitum non erit ingrata, *Euſebii* Concionatoris Aulici, *Proculi* Juriſconſulti, Profeſſoris, Judiciique Provincialis Aſſeſſoris, & *Cornelii* Præſidii militaris in urbe Præfecti. *Pomp.* Gratiſſimum erit eos ſalutare. *Macen.* Diune fruemur hic loci, te, Pomponi, præſente. Speramus enim, Principem noſtrum ex itinere mox rediturum eſſe, cui eris acceptiſſimus. *Pomp.* De conſervata mihi Principis gratia dubitare nolo. Eſt vero repetendum mihi iter propediem, cum diu abſentibus eſſe nobis non liceat. *Macen.* Itane vos laboribus incumbere oportet, ut parum temporis ſuperſit ad recreandum & corpus & animum? *Pomp.* Equidem hoc tibi, Domine, non poteſt eſſe ignotum, qui, ſi de legibus nobis præſcribendis agitur, conſilia conferre ſoles tua. *Macen.* De Suſtentationis Cameræ mediis actum eſſe memini, de qua re loquemur, ſi tempus permittet. Jam vero accumbemus, & ingeſtis ventriculo neceſſariis, deflectemus ad confabulationes. *Euſeb.* Recte monet Mæcenas. Accedamus ad menſam puris & ma-

& manibus & animis. *Cornel.* Et ego inciviliter civilis eſſe nolo, qui convivatorem noſtrum mea torqueam mora. *Mæcen.* Agite ergo. Licetne pace tua ſciſcitari, an ſit Dominorum Aſſeſſorum numerus juxta noviſſimum Imperii Concluſum, completus? Satis enim de ſalariorum fundo proſpectum eſſe reor. *Pomp.* Utinam & in præſtationibus nulla eſſet mora! *Mæcen.* Cujuslibet Imperii Membri hæc eſt cura domeſtica, noſtra ex parte nihil deſiderabitur unquam. *Pomp.* Pergratum eſt mihi hoc audire. Sperandum interim, omnibus tandem fore curam Judicii Imperialis æqualem, ut Concluſa ea in re ſortiantur effectum. Deficiente enim ſolutione, non poteſt non decreſcere etiam Senatorum numerus, qui hodiè eſt XVII. ſollicitudine laudabili eorum Imperii Statuum hucuſque conſervatus, queis recta eſt de ſuſtentando Judicio Imperiali ab ipſis conſtituto ſententia. *Euſeb.* Digni ſunt ſalariis ſuis operarii Reipublicæ. *Pomp.* Nos vero animum non abjicimus, memores in conferendis pecuniis ad res communes plerumque difficiliores eſſe homines. *Procul.* Et ego Conſtitutionem Imperii noviſſimam perlegendo, cogitavi, quænam fuerit ratio & neceſſitas tanti Dominorum Aſſeſſorum numeri, cum in Dicaſterio noſtro provinciali Aſſeſſores ſint numero longe minore, & in iis non omnes Actis legendis & elaborandis occupati. Congregamur etiam integro anno paucis ſeptimanis,

& tamen numerus Sententiarum quovis trimeſtri vel ſemeſtri eſt permagnus. *Mod.* Patere, quæſo, mi Procule, ut ego reſpondeam, Pomponio enim danda eſt ad prandendum quies. Non ſunt comparandi labores Cameræ Imperialis cum veſtris in Judicio Provinciali. Ex univerſo Imperio, paucis regionibus exceptis, ibi confluunt cauſæ: &, ſi numerum definitivarum Sententiarum ineas, longe major erit in Camera,, quam in Collegio veſtro,, ubi, poſt multas interlocutiones & leuterationes, tandem proceditis ad definitivam. Poſtremo, ubi ſuccinctis annotationibus defungi vobis licet, & plurimum ad fidem refertur ejus qui cauſam proponit: In Camerali Judicio ampliore Actorum recenſione quam vocant *Extractum*, & deliberatione plurium dierum in una cauſa opus eſſe didici, ut etiam Senatores ſinguli non minus ex Actis informentur, quam eſt ipſe Referens. *Procul.* Cur ergo adeo ſunt diffuſi Domini Camerales? Emendatione hic opus eſſe crediderim, ſi, quod efferri poteſt paucis verbis, fit oratione longa, & tædioſo labore extrahendi, quæ cauſarum defenſores inutiliter conſcripſere. Scis tu ipſe, Modeſtine, quantum ſit compendium Proceſſus noſtri, quod non liceat ſcriptis domi elaboratis Judicibus facere moleſtiam, ſed argumenta potiſſima, viva voce calamo excipienda, quisque proferre debeat & breviter, neque

que

que ſunt in noſtro foro tantæ dilationum moræ. *Euſeb.* Salutari inſtituto:

Nam veritas ſuevit eſſe oratio
Simplex, vafris nec eſt egens ambagibus
Interpretum; Siquidem ipſa per ſe congruit. (a)

Obtegitur autem verbis inanibus, adeo, ut oratorum Romanorum princeps, malle ſe, dixerit, indiſcretam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem. (b) *Mod.* Ut ſunt Advocati, eloqui poſſunt paucis verbis multa, & bene. Hos tamen eſſe perraros, experientia teſtatur. Sunt multi dictando prolixiores, quam res exigit, brevioribus forte uſuri verbis, ſi liceret domeſtico labore exceptiones, replicationem, & reliqua, ſcripto præmeditato comprehendere & Actis adjungere. *Procul.* Non diffiteor. Ut vero diſcant eloqui multa paucis verbis, frequentes ſunt apud nos contra profuſionem verborum mulctæ. *Pomp.* In Judiciis Statuum Imperii, quorum fines ſunt anguſtiores, facilior eſt modus agendi cauſas viva voce, quam in Judicio Imperiali, in quo Advocatorum, ex omnibus regionibus Germaniæ labores ſunt tolerandi. *Procul.* Multitudinem litium in Judiciis ſupremis Imperii dudum decreviſſe puto per Privilegia Statuum de non appellando. Ea enim eſt Juris territorialis pars eximia & eminens, ut Juſtitiæ adminiſtratio relinque-

(a) Euripides *in Pheniſſ. apud Stobæum Serm. IX.* ubi plura.
(b) Cicero *lib. 1. de Oratore.*

retur ipſis: ſubditis vero conſuleretur via promtiore, absque onere ſumtuum per Appellationes ad Judicium extraneum faciendorum. *Pomp.* Reponendum hic aliquid habeo, cum pace tua, Procule. Quod de extraneo ais Judicio non crediderim eo nomine intelligere te Judicium Imperii. Dolendum eſt, ſi ſint, qui de eo ſentiant & loquantur quaſi de Dicaſterio aliquo extra Germaniam peregrino. Agnoſco Statuum Imperii poteſtatem: non autem te Juriſconſultum credo eſſe in ea opinione, quod ſit à Legibus Imperii exemta. Suprema dicitur in Conſtitutionibus publicis Imperatoria & Statuum Imperii Jurisdictio, quæ in Camera Imperiali adminiſtratur. Privilegiorum, quibus Appellationes vel excluduntur penitus, vel ad qualitatem cauſæ & ſummæ reſtringuntur, numerum hodie multo majorem eſſe ſcio, quam erat tempore conditi Judicii uſque ad Imperatorem Ferdinandum III. Nihilominus larga manſit litigiorum ſeges decidendorum non ſolum in via Appellationis, ſed etiam in inſtantia prima. *Macen.* Quomodo vero in prima Inſtantia? Habent enim Principes Judicium Auſtrægarum, & adverſus eos, qui Privilegio de non appellando gaudent ampliſſimo, à Judicio Imperii Jura dici puto velut extra territorium. *Pomp.* Cum venia tua, Domine, dixero, eſſe hoc, quod dicis, contra Privilegii naturalem ſenſum. Aliud enim eſt, appellare, aliud, querelam contra

Prin-

Principem ipſum deferre. Variæ autem ſunt cauſæ, ob quas etiam Principes in prima Inſtantia vocari poſſunt in Judicium, ceſſante per Leges Imperii foro Auſtrægarum. *Macen.* Agnoſco. Verum in executione veſtrarum Sententiarum difficultatem quandoque putaverim fore. *Pomp.* Penes nos nullam ſcio. Executio quomodo fieri debeat, Legibus eſt præſcriptum. Quodſi moram committant executores, ipſi in Leges peccant, neque ægre ferre debent, ſi adhibeantur modi compellendi, legibus & auctoritati judiciariæ convenientes. *Macen.* Fortaſſis hæc eſt etiam cauſa difficultatis, quod ab executoribus cauſæ cognitio rurſus ſuſcipiatur, & de tranſactione ineantur conſilia? *Pomp.* Compoſitionis ſtudium non erit prohibitum, quouſque non tendit ad executionem protrahendam cum victoris diſpendio. Cognitio vero de meritis cauſæ non eſt officii executorum. Neque etiam ex iſto demandato munere, quod ad complementum Juſtitiæ pertinet, lucrum quærere debent ii, quorum opera Principes eo in negotio utuntur. Hoc enim ad ipſorum Principum exiſtimationem pertinet, ne, ſi fieri permittant, videantur aut juſſiſſe & aſſeruiſſe ſibi partem lucri, aut, quod parum differt, officium miniſtro vendidiſſe, qui deinde ſolutam pecuniam à victoribus litis repoſcere poſſit. Quantum vero hic naſceretur damnum iis, qui ſumtus litigii ſunt experti! Et quid ſperandum, ſi victoris facultatum

pars

Digitized by Google

pars major conſiſteret in effectu Sententiæ? *Cornel.* Mihi ſi committeretur rei judicatæ executio, ego de meritis cauſæ parum ſollicitus, militari manu promte juſſa facturus eſſem. *Pomp.* Armis non eſt opus, quouſque fieri aliquid poteſt conſilio & auctoritate. Omnia prius experiri verbis, quam armis, ſapientem decet, vetus eſt apud Comicum ſententia: (c) Qui prudens eſt, vim non expectat. Flectunt ſapientes animum, ubicunque eſt opus, & in tempore faciunt, quod faciendum eſt poſt invitis. *Macen.* Hæc omnia vera eſſe crediderim, ſi Actio ſit contra eos, qui viribus ſunt inferiores. Quid vero, ſi potentior executionem pati nolit? *Pomp.* Circumſpecte procedunt Judicia Imperii. Tandem, ſi officio ſuo functus ſit Judex, ut in eo nihil poſſit deſiderari, reliqua providentiæ divinæ permittenda. *Procul.* Iſtas difficultates nos non experimur, ſed paratiſſimam habemus Sententiarum executionem. *Macen.* Nimirum Jura vos dicitis ſubditis, & contra inobedientes remedium eſt paratum à Principe territorii Domino. *Pomp.* Et nos Jura adminiſtramus Imperii Germanici civibus omnis generis, atque juxta præſcriptum in Conſtitutionibus Imperii modum progredimur. *Procul.* Ne ſuccenſeas quæſo, Domine, ſi quæſivero, quidnam tenendum ſit de diſcrepantibus in Judicio Camerali deciſionibus atque jure incerto. Mira ea de re leguntur

(c) Terent. Eunuch. *Act. 4. ſcen. 7.*

Digitized by Google

tur *in Fichardi Conſiliis* & alibi. (d) Permagna eſſe dicitur aliis in terris Rotæ Romanæ auctoritas tanquam fontis limpidiſſimi. (e) Veſtram itaque Rotam (ita appellatur Judicium Camerale à *Scipione*, qui ejus Deciſiones edidit) pari Jure exiſtimationi æqualiter adminiſtratæ Juſtitiæ operam dare crediderim, vel debere. Nos errare non putamus, ſi in judicando à moribus antiquis & præjudiciis veterum non recedimus. *Pomp.* Quæ legiſti, Procule, in *Fichardo*, vel aliis, qui ab eo acceperunt, aliena fide relata eſſe ſcito, & ea tempeſtate dicta, qua erat invidiæ nonnihil inter Aſſeſſores veteres. Quæ vero de diſſenſu deciſionum allegantur, auctores habent vel litigantes, vel Advocatos, de rationibus deciſionum non ſatis informatos. Juſtitiæ bene & æqualiter adminiſtratæ exiſtimationem Collegium Camerale nunquam non tuebitur. Non is ego ſum, qui nunquam accidiſſe errores quosdam aſſereré velim. Homines fuere Senatores, ſunt, eruntque in perpetuum. De conſtanti ſtudio Jus cuique ſuum tribuendi loquor. Deciſiones vero contrarias in cauſis ſimilibus evitare jubemur lege Camerali,

(d) Fichard. *part. 2. conſil. 59. num. 8.* ex quo repetiit Cothmann. *lib. 1. reſponſ. 23.* & Vultej. *Conſil. Marpurg. 1. conſil. 34.*

(e) Quintil. Mandoſias *Tractat. de Commiſſionibus, edito antea Venetiis, recuſo Spiræ Anno 1599. artic. 4.* evehit Rotæ Romanæ auctoritatem his verbis: *Inter doctos Scriptores non reperitur ullus, qui ad Sacra Rota Decreta non ſecus ac ſitibundus ad limpidiſſimum fontem non currat, quo Doctorum ſcripta alioquin ſterilia, frugifera ac fructuoſa reddantur.*

&, ne exaudiantur, cavemus ſollicite. Neque vero quod litigantibus vel Advocatis contrarium videtur, idcirco eſſe tale credendum eſt, ſed in ſingulis iſtiusmodi cauſis rationes fuiſſe peculiares. Quod de Rotæ Romanæ auctoritate commemoraſti, non puto, eandem tibi cum iis, qui ejus decreta ſupra modum extollunt, eſſe ſententiam. Hi enim, quales ſint ipſi, hac ſua opinione patefaciunt, non intelligentes vel ignorantes declarationes, quas edidit Rota antiqua, media, & moderna, teſte *Cardinali de Luca*, quod deciſiones vere & proprie ad eas tantum pertineant cauſarum circumſtantias, quæ primario fuerunt diſcuſſæ atque deciſæ, & quod, diſtinctionem qui non obſervent Judices, ſint inexperti. Totus ille locus *Cardinalis*, ex quo pauca verba venerunt mihi in memoriam, eſt notatu dignus, & ad dubium, Procule, tuum inprimis faciens: evolvas, ſi placet, alio tempore librum. (f) Perſimilis eſt ratio Deciſionum Judicii Cameralis, cui nomen *Rotæ* impoſuit mea ſententia inepte ſatis ille, neſcio quis, *Scipio*, alienorum collectaneorum compilator, (g) quaſi vero appellatio *Rotæ Romanæ*, ab ornamentis figurarum pavimenti in loco

(f) Titulus eſt: *Relatio Curiæ Romanæ, in qua omnium Congregationum, Tribunalium, aliarumque Jurisdictionum, Urbis Status, ac Praxis dilucide deſcribitur. Edit. Colonienſis Anno 1682.* Huc pertinet *Diſcurſ. XXXII. num. 65. ſeqq.* allegata verba *in Colloquio* reperiuntur *num. 80.*

(g) Vide de hoc Scipione judicium Deckherri *in Bibliotheca Camerali adjuncta Vindiciis.*

loco congregationis ita dictæ, conveniret Judicio cuilibet ſupremo, & imitanda eſſet Germanis appellatio Italorum. Tandem, ut omnem hanc dubitationem eximam tibi, Procule, obſervare te velim, ſententiam quamcunque non eſſe præjudicium proprie ſic dictum, niſi poſt rem judicatam in eadem cauſa, non vero in aliis, neque opinionem aliquam Senatus unius legem facere Senatui alii, niſi aliquid ſtatutum fuerit à Collegio univerſo. Proinde, quod de auctoritate Deciſionum Cameralium acquirenda in mentem tibi venit, dubitandum non eſt, fuiſſe eam ſemper & eſſe in hodiernum uſque diem, cumprimis ſi ſpectes vim rerum judicatarum. De incerto jure quod addebas, non poteſt eſſe tibi in Judicio verſanti ignotum, certum eſſe Jus plerumque in theſi, varias autem deciſiones in ſubſtratis cujusvis cauſæ circumſtantiis. *Procul.* Ex his vero, quæ diſſeruiſti, Pomponi, colligeret quis, nullum eſſe, vel minimum uſum Relationum Cameralium publice editarum ad caſus futuros. *Pomp.* Utilitas iſtarum Relationum eſt varia in cauſis cumprimis arduis. His enim plerumque diligentiâ Auctorum accedunt cum illuſtrationes hiſtoricæ ſpeciales, tum juridicæ non vulgares, ſed delectæ, quarum uſus etiam eſſe poteſt in cauſis aliis, ſi recte applicentur. Deinde, ſi elaboratæ ſunt methodo non vulgari, viam monſtrant quam ſequi poſſit, qui in arte referendi nondum eſt exercitatus. Tan-

dem ſunt teſtimonia inſignia diligentiæ Aſſeſſorum, quod non perfunctorio ſtudio, ſed cura ſumma in elaboratione ſint verſati. Nonne tu, Procule, largieris mihi, eundem eſſe uſum Conſiliorum Academicorum? quare non potiori jure ſit uſus Relationum in Judiciis ſupremis Imperii exantlatarum? *Procul.* De norma decidendi controverſias, niſi moleſtum eſt, ſciſcitari vellem, quænam vobis Dominis ſit præcipua, Jus civile Romanum, an Patrium ſive Germanicum vetus. Nos in Academia Juſtinianea Jura docemus tanquam ſubſidiaria, & ſecundum ea non judicamus niſi pro Jure patrio adjuvando. *Pomp.* Reſponſio ad quæſtionem pluribus quidem fieri poſſet verbis: ego tamen dicam brevioribus, pro modo converſationis præſentis. Primò non puto te, Domine, adeo non meminiſſe Conſtitutionum Imperii, ut dubites de norma judicandi Aſſeſſoribus præſcripta, quam in ipſo officii ingreſſu obſervandam jurejurando promittunt. *Mod.* Notatu digna eſt conſtitutio, quam diebus proxime præteritis legi, & auderem ego ipſe ad quæſtionem Proculi reſpondere, malo tamen aures præbere vobis. *Procul.* Occaſionem nactus ſum quærendi ex Diſſertationibus nonnullis publice editis, in quibus Domini Aſſeſſores Camerales nimii Juris civilis ſtudii arguuntur & ignorantiæ Juris patrii. *Pomp.* Tu vero, Procule, qui Jus civile profiteris in Academia,

pa-

patieris revocari in memoriam dictum celebre Tullii: (h) Quod, qui Jus civile contemnendum eſſe putat, is vincula revellit non modo Judiciorum, ſed etiam utilitatis vitæque communis: Qui autem interpretes Juris vituperat, ſi imperitos Juris eſſe dicit, de hominibus, non de Jure civili detrahit: Sin peritis non putat eſſe obtemperandum, non homines lædit, ſed Leges ac Jura labefactat. *Procul.* De Jure, quod Romæ vigebat, loquitur Orator, & hoc ſenſu rectiſſime Jus civitatis cujusvis dicitur civile. *Pomp.* Conſentio. Atque ut quæſtioni tuæ ſatisfaciam propius, de antiquo tempore locutum eſſe credo auctorem Diſſertationum, cui, ſi Aſſeſſores veteres viverent, ſatis reſponſuri eſſent. Ceterum, ſi de uſu Juris patrii in ordine ad Juſtinianeum & Pontificium (quatenus hoc pars eſt Juris communis recepti) occurrit quæſtio: non puto incongruum eſſe ſimile à calculo Aſtronomico deſumtum. Scilicet alii ſtatuunt terram mobilem adinſtar Lunæ, & in orbis univerſi centro corpus ſolare, tanquam multis numeris magnitudine terram ſuperans, collocant: alii terram volunt eſſe in centro, Solem vero inter planetas numerant. Et tamen in calculo Aſtronomico, ſecundum quem corporum cœleſtium motus & phraſes ad temporis partes minimas demonſtrantur, non differunt; Hi per varios cyclos procedentes, illi, via longe breviore. *Euſeb.* Corpus

(h) *Orat. pro Cæcinna, pag. 745. Edit.* Freigii.

Digitized by Google

pus ſolare immobile qui ſtatuunt, Sacræ Scripturæ contradicunt. *Pomp.* Negant hoc iſtius ſectæ Mathematici, nam & de Deo ipſo inviſibili verba quædam Sacri Codicis ita ſonare, acſi ſenſibus corporeis uteretur. *Euſeb.* Hoc dicitur quaſi per excellentiam, quod oculorum & aurium creator non poſſit non videre & audire. *Procul.* Quænam vero applicatio calculi Aſtronomici ad quæſtionem noſtram? *Pomp.* Accipe talem: In decidendis controverſiis forenſibus, ſive ingrediaris viam ſubtiliorem Juris communis Juſtinianei & Pontificii, & evolvas ſententias varias Interpretum, poſtea vero deflectas ad Jus patrium, quo nomine intelligo Jus cuique regioni proprium, atque in hoc ſubſiſtas: Sive à patrio Jure initium facias, commune vero in ſubſidium voces: non puto fore differentiam majorem, quam inter duas quantitates, quæ ſunt æquales uni tertiæ. *Procul.* Id quidem ſatis capio, & plerasque regiones & urbes proprias habere leges vel conſuetudines, non dubito. *Pomp.* Omnes affirmare auſim. Hoc vero obſervatum mihi fuit, quotquot ex iis pervolvere licuit, fuere autem plurimæ, baſin præcipuam eſſe omnium ex Jure communi, pauciora ex moribus peculiaribus derivata. Leodienſi tamen Jure multa peculiaria eſſe conſtituta, ex *Commentario celebri Caroli de Mean* diſcimus. Qui ergo ex recentioribus JCtis Academicis Cameræ Imperialis Senatores de nimio Juris

ris Juſtinianei, vel etiam Feudalis Italici ſtudio, cum neglectione Juris patrii, arguunt, atque de iis fere contemtim loquuntur, Auditoribus doctrinas ſuas tanquam veriorem normam laudantes, non ſatis informatos fuiſſe de rebus judiciariis Judicii Imperialis, exiſtimo. Ab his vero ſyſtema Juris aliquod novum, in Judiciis præ aliis valiturum, nondum vidi elaboratum. *Procul.* Nullane auctoritas apud vos Speculorum Saxonici & Suevici? Vidi enim librum *Harprechti* JCti apud Holſatos & in Academia Kilonienſi, noviſſime Conſiliarii Nobilium immediatorum Wetteraviæ, qui omnem auctoritatem Speculo Suevico & Juri Feudali Alemannico, à Joh. Schiltero tantopere commendato, derogat, & plurimis teſtimoniis Electorum, Principum & Statuum Imperii, necnon Collegiorum Academicorum, hanc ſuam theſin confirmat. *Pomp.* Tanta erit iſtorum librorum apud nos auctoritas, quanta in regionibus Imperii ſingulis. Cum enim Aſſeſſores Cameræ teneantur judicare ſecundum mores Provinciarum, quatenus eorum allata fuerit probatio. Si in controverſia aliqua ad uſum Speculi Saxonici vel Suevici provocaverit Actor vel Reus, eumque probaverit, atque dilucide adplicaverit ad quæſtionem, ſortietur applauſum absque dubio. Regulam vero nobis non facient iſtæ morum antiquorum privato ſtudio factæ collectiones, quia de auctoritate ipſis tributa non conſtat. Saxones quoque JCti

aucto-

Digitized by Google

auctores iſtorum Speculorum nugivendulos fuiſſe aſſerere non dubitant. (i) Commentationem *Harprechtianam*, cui occaſionem dedit controverſia de *Comitatu Rutbergenſi*, vidi, de rationibus vero deciſionis cauſæ illius in Judicio Imperiali Aulico, certior factus non ſum. *Procul.* Ergo, ſi Dominos Aſſeſſores Cameræ, ſecundum Jura & mores Provinciarum pronunciare oportet, ipſorum non erit examinare Statutorum vel morum juſtitiam. Tractavit hanc materiam *Chriſt. Thomaſius* in aliqua Diſſertatione. (k) Deinde, ſi exiſteret caſus ſucceſſionis in feudo extincta aliqua linea, quæ ante aliquot ſecula per diviſionem fuit ſeparata, putasne tu, deciſionem controverſiæ faciendam eſſe ex Jure Longobardico, quod diu poſt diviſionem linearum in Germaniam fuit introductum, an non potius ex Jure veteri? *Pomp.* Ad utramque quæſtionem reſpondebitur & judicabitur caſus de Statutis moribusve, ſi extiterit, & proponetur in ſuis terminis. Generales enim definitiones ambiguæ ſunt & inutiles, cum in facto ſæpiſſime ſint circumſtantiæ generalem quæſtionem limitantes. Ad Diſſertationem Thomaſianam quod attinet, videtur mihi Celeberrimus olim in Academia Halenſi JCtus iniquior fuiſſe non Aſſeſſoribus Cameræ tantum, ſed & toti Judi-

(i) Vid. Celeberrimi J. P. de Ludwig *Vitam Juſtiniani cap. 3. pag. 67. in fin.* & *pag. 75. in princip.*

(k) *Anno 1703. edita, de Statuum Imperii poteſtate Legislatoria contra Jus commune §. 37. 38. ſeqq.*

Judicio Imperiali, cum proficuum putat eſſe Imperio, ſi omnes Status haberent Privilegia de non appellando, ut ex Privilegiis fieret Jus commune. (l) *Mæcen.* Eſt profecto inſigne Jus Legislatorium, Statibus Imperii competens, quod diminui non patientur, neque ut exemplum unum trahat alterum. Magnam lucem Juri Germanico, cujus rectam cuſtodiam in ſupremis Imperii Judiciis eſſe non male dixeris, attuliſſe volumina *Adriani Gylmanni*, Doctoris olim Academici, poſtea in Camera Imperiali Practici, audiviſſe me recogito. Ea itaque vobis utiliſſima eſſe puto. *Pomp.* Tanta eſt horum Voluminum, & quæ ſunt ejus generis plures Collectaneorum alieni laboris compilationes, utilitas, quanta eſſe poteſt exemplorum in cauſis vel per Decreta extrajudicialia, vel per res judicatas expeditis. De Auctore dictorum Voluminum certum eſt nobis, editorem Bibliopolam *Schönwetterum* Collectanea iſta nactum fortuito, arbitrio ſuo præfixiſſe & finxiſſe nomen *Adriani Gylmanni* JCti Germani. Non latuit hoc *Thomam Merckelbachium* JCtum eximium, poſtea Judicii Auguſti Aſſeſſorem, qui in Conſilio Anno 1611. ante Aſſeſſoratum conſcripto, (m) brevi poſt edita iſta Volumina Gylmanniana, Pſeudonymum eſſe *Gylmannum* ſcripſit, adeo

(l) Thomaſ. *dict. Diſſertat.* §. *49. 68.*

(m) Extat *in Collectione Klockiana volum. 1. conſil. 6.* ubi vid. *num. 94.* adde *Obſervat. Forenſ.* G. M. de Ludolff *obſervat. 84. num. 1.*

ut memoria hujus rei ſefellerit Virum JCtum noſtri temporis inſignem atque diligentiſſimum. (n) *Macen.* Quid vero ad hos ſermones Euſebius noſter? Attentum fuiſſe te obſervavi, neſcio an contentum. *Euſeb.* Inter auſcultandum non neglectas fuiſſe epulas, vidiſti, Domine. Meam ſi veſtris ſermonibus addere licet ſymbolam, erit ex elegantiſſimo Poëta veteri, ſed Chriſtiano: (o)

Perverſum Jus omne viget, dum, quidquid habendum
Omnipotens dederat, ſtudia in contraria vertant.

Tantum in Republica Judiciorum numerum, tantamque juris incertitudinem ſi animo revolvo, non poſſum dolere ſatis hominum vel impatientiam vel avaritiam, ut nemo fere ſit ſorte ſua contentus, vel qui doctrinæ Evangelicæ audiens eſſe, quam lites cum fortunarum periculo ingredi malit. A litibus, & plus etiam quam licet, abhorrendum eſſe, Gentilium fuit Philoſophia: Non enim modo liberale eſſe, paululum nonnunquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. (p) Quid vero Chriſtiani? *Procul.* Num vero à veſtra plurimum Reverendorum Virorum Eccleſiaſticorum temperantia erit expectandum,

(n) J. P. de Ludwig *in Vita Juſtiniani cap. III. pag. 58. §. 16.* Incertus itaque Auctor *Commentarii ad Inſtitutiones* ibi recenſiti.
(o) Prudentius *in Hamartigenia verſ. 306. ſeq.*
(p) Cicero *lib. 2. Offic. cap. 18.*

dum, ut injuriam vobis illatam patienter ferre velitis, ablata non repoſcere? *Euſeb.* Intelligo dicta de immoderatione litigantium: Scio enim Sacris literis non tolli Magiſtratus & Judicia, ſed potius confirmari: neque etiam peccare, qui ſuum cuique tribuere renuentem, auctoritate Judicis compellit. *Macen.* Verbi Divini veritas hominum malorum abuſu perverti non debet. Nam quod dicitur de non repoſcendis ablatis, injuſtitiæ ſcelerumque præſidium quis cenſeret eſſe? *Euſeb.* Arduum ergo officium Judicis, ne cuiquam injuriam fieri patiatur, & tamen fieri quandoque credo per ipſam Judicis ſententiam. *Procul.* Si ſecundum ea, quæ in Actis ſunt probata, judicat, nullum habet periculum conſcientiæ: Si contra Acta, non erit excuſanda culpa. Publicæ vero rei intereſt, ut conſiſtat auctoritas rei judicatæ, quia, ut loquimur, ex albo facit nigrum, ex nigro album. *Euſeb.* Deum immortalem! quænam hæc eſt juſtitia? Ego ex Propheta Sacro (q) maledictum eſſe didici, & ita doceo, qui ex tenebris facit lucem, ex luce tenebras. *Pomp.* Recte ſentit Euſebius. Nam ſententia Actis & juri aperto contraria dicitur nulla, neque vim rei judicatæ unquam habet. De hoc ipſo vero, an ſit talis, cognitio debet eſſe Judicis, non privatorum arbitrium. Axioma illud de albo & nigro crudum nimis eſſe, & rudi oratione formatum agnoſco,

(q) *Eſaia cap. 5. verſ. 20.*

Digitized by Google

ad injuſta judicia minime adplicandum. Minime errat Judex, qui, Sententiam latam præ oculis habens, rationum decidendi incertus, eam ſequitur, licet videatur aliquid habere iniquitatis. *Euſeb.* Hic itaque ſummum jus ſumma erit injuria, quod agnovit Oratorum Romanorum excellentiſſimus. (r) *Pomp.* Idem vero ſententiam ſuam de callida juris interpretatione declarat, in quem ſenſum ait Comicus: (s) Jus ſummum ſæpe eſſe malitiam ſummam. *Cornel.* O! beatum, cui contingit lis nunquam, togaque rara, hoc eſt, ſi quis procul à forenſibus curis munere ſuo fungi poteſt, quod faciunt milites, reliqua enim bona, quæ, juxta Martialem Poëtam, vitam reddunt felicem, paucis contingunt omnia. (t) *Euſeb.* Neſcivit iſte Poëta bonum, quod eſſet ſibi omnium maximum, & ante omnia curandum. Vos autem militares Viri, putatisne nullum eſſe vobis periculum animæ? Quotus-

(r) Cicero *lib. 1. de Offic. cap. 10.*
(s) Terent. *Heautont. Act. 4. ſcen. 5.*
(t) Martial. *lib. 10. Epigramm. 43.* ad ſe ipſum:

Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis *nunquam*, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis torus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod ſis eſſe velis nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Digitized by Google

tusquisque veſtrum eſt, qui regulam, à Johanne Baptiſta militibus datam, obſervet? (u) *Cornel.* Si ego mandato ſuperioris mei obſequens ſum, hoc ad ipſius conſcientiam pertinet, non ad meam. In bello vis abeſſe non poteſt. Gerere bellum, non eſſe juri divino contrarium, concedes mihi Euſebi? *Euſeb.* Ajo, ſed cum moderamine. *Cornel.* Omne vero bellum eſt vis: Ergo à vi milites abſtinere non poterunt. *Mæcen.* De vi privata loquitur Euſebius, non de ea, quæ fit auctoritate publica & contra hoſtes. In expeditione ut omnia juxta regulas juſtitiæ fiant, eſt impoſſibile. Maturatio enim rerum gerendarum id non permittit. Hinc excuſantur multa ex ipſo ſtatu armorum, etiam in actionibus militum, quæ pacis tempore vindicantur tanquam injuriæ, ipſius Hugonis Grotii judicio. (x) *Cornel.* Addere velim, quod me puerum ex comico docuit Magiſter: neminem eſſe tam ingenio duro, neque tam firmo pectore, quin, ubi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene. (y) Quod ſi ex literarum ſtudiis præparare licet uſui & rebus ſubſidium, ne quis obnoxius fiat potentioribus, vel amicis oneri, cur non etiam hoc permittatur in militia, ubi cumprimis impenſæ ſuperant auctoramenta. Non ſane parvi faciendum eſt no-

(u) *Luca III. verſ. 14.*
(x) Hugo Grot. *de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 5. & ſeqq.*
(y) Plautus *in Aſinaria Act. 5. ſcen. 3.*

Digitized by Google

noſtrum quod inimus periculum & corporis & vitæ, omniſque rei familiaris. *Euſeb.* Timore Dei regi debent etiam milites, & meminiſſe axiomatis Sacri: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & alterius, quod eſt affirmativum. *Cornel.* Recte, utrumque vero in eodem ſtatu ſupponit verſari homines. *Macen.* Eſt profecto hæc converſatio mihi jucundiſſima. Interea, ne ſegniter attingatis, peto. *Pomp.* Certiſſime non parcimus neque patinis, neque calicibus. *Macen.* In mentem mihi venit ſæpius cogitatio de mediis amputandarum vel breviandarum litium. Graviſſimum enim in Republica malum agnoſco, ſi litigia ſint infinita: cauſarum deciſiones non maturatæ, tanto infeliciores poſteris, quo tardiores. *Pomp.* Mea eſt ſententia, ſalva meliore, quod laudabile vitæque hominum, juxta effatum Imperatoris (z) neceſſarium Advocatorum officium, de quo paratitlon memorabile conſcripſit Jacobus Gothofredus, (aa) multitudine hominum id affectantium, & in forum, ut cum Plinio loquar, (bb) irrumpentium, ad tantum pervenerit abuſum, ut morbus jam ſit Reipublicæ magis, quam medicina. A copia enim innumerabili cauſidicorum eſt litigiorum numerus infinitus, cui ſi modus imponi poſſet, proximum hoc fore puto & cer-

(z) *L. 4. Cod. de Advoc. diverſor. Judicior.*
(aa) *In Codice Theodoſ. ad lib. 2. tit. 10. de poſtulando.*
(bb) Plinius *lib. 2. Epiſtol. 14.*

certiſſimum remedium. Promiſcua ubi permittitur poſtulandi libertas, & quo quis majore eſt in loquendo & ſcribendo audacia, tanto inſignior ſibimet videtur Jurisconſultus, cauſarum ambiguarum defenſor, cujus glorioſæ vocis munimine res lapſæ, publicæ & privatæ, in urbana hac militia erigantur. (cc) Hinc protruduntur in foro ſcripta verborum & paginarum numero, non rerum & argumentorum eminentia. Gravior ſæpe eſt pugna cauſidicorum inter ſe, quam inter clientulos de materia litis. Et cum Cameralis Judicii (ut etiam huc adplicentur dicta) conſtitutio ita ſeſe habeat, quâ non poſſit cauſarum omnium, pro ea quam gerunt litigantes ſpe, maturari deciſio: inveniuntur multi, quorum eſt ſtudium unicum extrahendi proceſſum utilitatis propriæ gratia, ſcriptis prolixiſſimis, adjunctorum farragine inutili, aliisque modis innumeris. *Macen.* Rejicienda ergo foret iſtiusmodi congeries, cum ſufficiat recenſuiſſe factum & controverſiæ ſtatum; id quod fieri poteſt breviter. Vir bonus non agit niſi bonas cauſas. Eas porro etiam ſine doctrina ſatis per ſe tuetur veritas ipſa. Memini ex

(cc) *L. 14. Cod. de Advoc. diverſor. Judicior.* Elegans Deſcriptio eſt Ciceronis *in Orat. pro Murena: Servius nobiscum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſollicitudinis, ac ſtomachi, ſecutus eſt: Jus civile didicit: multum vigilavit: laboravit: præſto multis fuit: multorum ſtultitiam perpeſſus eſt: arrogantiam pertulit: difficultatem exſorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum, magna laus, & grata hominibus, unum hominem elaborare in ea ſcientia, quæ ſit multis profutura.*

ex Quintiliano. (dd) *Pomp.* Et ego recordor. Innumerabilia vero ſunt, quod ibidem ſubjicit Auctor, bonis cauſis malisque communia, teſtes, literæ, ſuſpiciones, opiniones. Nihil denique eſt, ait Comicus, quod male narrando non poſſit depravarier. (ee) Quod enim in genere hominum evenit, idem eſt in ſermonibus. Nam illic alii & ſunt & eſſe videntur boni: alii non ſunt, cum eſſe videantur. Eodem modo in ſermonibus contingit, ut alii re ipſa ſint & appareant veri: in aliis, etſi occulta falſitas inſit, nihilominus veritatem ſimulent, & imponant. (ff) Judicis eſt, ſemper in cauſis verum ſequi, Patroni, nonnunquam veriſimile, etiam ſi minus ſit verum, defendere. (gg) Hæc omnia ut cognoſcantur, diſcernanturque utilia ab inutilibus, vera ab apparentibus, legenda ſunt iſta ſcripta non absque faſtidio & temporis diſpendio, deinde in Senatu recenſenda tali modo, ut etiam Senatores reliqui rem ita eſſe videant & intelligant. Neque enim in Judicio Imperiali, quod per plurimas Imperii regiones Jurisdictionem exercet, certus poteſt eſſe poſtulantium numerus, ſed permittendus cuique litigantium cauſæ defenſor, quo uti voluerit ſibi proximiore & acceptiore.

Eu-

(dd) Quintil. *Inſtit. Orat. lib. 12. cap. 1.*
(ee) Terent. Phormion. *Act. 4. ſcen. 4.*
(ff) Verba ſunt Themiſtii Oratoris latine reddita à Petavio *Orat. 15. in Edit.* Harduini *Orat. 26.*
(gg) Cicero *lib. 2. de Offic. cap. 14.*

Euſeb. Ergo non mirum, ſi apud vos multi expectent juſtitiam, quam nonniſi elongatam vident, ut ait Propheta. (hh) *Pomp.* Multi etiam, velut navitæ, ex alto terram ad quam ſecundo vento appulſuri ſint, conſpiciunt. Nos, ſiquidem officio noſtro fungimur, quilibet pro virili, nullam habemus moræ culpam. *Mæcen.* Tolerandum ergo eſt, quod mutari non poteſt. Quoniam de vario Jure in Germania inciderunt ſermones, cogitationem meam ſubit, quomodo Germaniæ populi, quibus cauſidicorum Romanorum voces, teſte Floro Hiſtorico, (ii) erant maxime intolerabiles, ipſi tandem Juri Romano aſſueſcere potuerint? *Pomp.* Inficias ire nolo, quin, ab introductione Juris Romani & Diſputationum primo Academicarum, deinde forenſium, magna ſit nata in Jure dicendo difficultas, magnaque cauſas tractantium multitudo, quorum apud Romanos in ſingulis provinciis fuiſſe numerum permagnum legimus. (kk) Felicem quoque puto Rempublicam, quo pauciores ſunt leges, nulliſque Diſputationibus involutæ. Tenendæ tamen ſunt, quas habemus, quia univerſalis mutatio fieri nequit, quam ſinguli Status Imperii, quiſque in territorio ſuo, adferre ſtuduerunt. *Euſeb.* Ex his, quæ audivi, colligo, veriſſimum eſſe dictum *Tertul-*

 lia-

(hh) *Eſaias cap. 59. verſ. 11.*
(ii) L. Ann. Florus *Hiſtor. Roman. lib. 4. cap. 12.*
(kk) *L. 11. 16. 17. Cod. de Advoc. diverſor. Judiciorum.*

Digitized by Google

liani : Plus damni inferri Reipublicæ à togis quam à loricis. (ll) *Cornel.* Egregium ſane dictum. *Mæcen.* Ammianus Marcellinus Hiſtoricus, ſi ſatis redeo in memoriam, ita ſcripſit: Plus facere mali, qui oratione, quam qui pretio Judicem corrumpit: quod pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. (mm) Adderem ego, etiam commendando, & quæ alia poſſunt eſſe lenocinia. *Pomp.* Pretio ac mercede duci, ſordidiſſimam eſſe rationem, & inquinatiſſimam, judicavit ipſe *Tullius*, non iis ſolum, qui ea tenentur, ſed & illis, qui ad eam confugere conantur. Male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. (nn) *Mæcen.* Non ita pridem evolvi librum *Pſalmodiæ Sacræ* ab Auctore mihi donatum, in cujus appendice titulo de Juſtitia, miror Dominum *Baronem de Heuel* de ipſis Judicibus non bene ſenſiſſe. Verſus primus eſt:

Ni movet argentum, proceſſum conſpice lentum.

Sequuntur alii, quos memoria non teneo. *Pomp.* De Judiciis male conſtitutis verſus metro-rhytmicos auctoris intelligendos eſſe puto, vel de cauſarum defenſoribus. *Mæcen.* His vero ſalaria ſtatui oporteret cum graviſſima ſanctione contra tranſgreſſores. Neronem

(ll) Tertullianus *Libro de Pallio cap. 5.*
(mm) Amm. Marcellin. *lib. 30. cap. 4.*
(nn) Cicero *lib. 2. de Offic. cap. 6.*

ronem Cæſarem hoc feciſſe narrat Suetonius. (oo) *Pomp.* Vereor, ut ſit poſſibile. Ego ſane conſultor eſſe nollem. Nota enim ſunt, quæ de *Lege Cincia* memoriæ prodidit *Tacitus*, & in *Epiſtolis Plinius*, Edictum Prætoris alios carpſiſſe refert, alios laudaſſe, multos vero fuiſſe, qui dixerint: Quid? ante hunc Prætores non fuerunt? Quis autem hic eſt, qui emendet publicos mores? (pp) *Macen.* In Camera Imperiali eſſe ſcio Procuratores, viros eruditos, quorum munus primarium, præter perorationes publicas, Advocatorum extraneorum errores corrigere, libellos ſibi tranſmiſſos emendare, procraſtinationes devitare, &, quantum poſſunt, ad maturandam juſtitiam conferre. *Procul.* In Judicio noſtro Provinciali hoc non eſt officii Procuratorii, neque id ambiunt gradu Academico inſigniti, ſed alii doctrina Juris leviter tincti, qualicunque rerum forenſium notitia inſtructi. *Pomp.* In Camera Imperiali vero, ut in numerum Procuratorum referatur aliquis, primus eſt gradus receptio in Album Advocatorum. Nullus horum eſt gradu Academico non inſignitus. Qui vero, abjectâ, quod tandem fecit Cicero, (qq) commentatione cauſarum, vitæ commodiori, hoc eſt,

(oo) Suetonius in Nerone *cap. 17. Edit.* Schildii, ubi vide *Notam* Salmaſii.
(pp) Tacit. *Annal. lib. 11.* Plin. *lib. 5. Epiſt. 21.*
(qq) Cicero *lib. 9. ad Familiares, Epiſt. 20.*

Procuraturæ ſoli, dant operam, extraneorum Advocatorum conſilia ſequi conſueverunt hosque colere, quo plurimarum cauſarum adminiſtratione in Camera per illorum commendationem fruantur. *Macen.* Adeoque non floret amplius elegantiæ priſcæ patrociniis Tribunal? (rr) Aliam puto mentem fuiſſe Legislatorum, & ipſarum Conſtitutionum Cameralium. *Pomp.* Ubinam vero eſt in orbe terrarum locus, officium, collegium, quod ſit & maneat perpetuo omnibus numeris perfectiſſimum? Auctoritatem Judiciorum degenerare novum non eſt: patrocinantium etiam non ſunt ſemper & omnium mores iidem. Dudum enim in deſuetudinem abiit, quod de ſuo tempore teſtatur Tullius: Diſerti hominis & facile laborantis, multorumque cauſas & non gravate & gratuito defendentis beneficia & patrocinia late patere. (ss) Porro in tanta cauſarum multitudine fieri poteſt, ut quis plurium curam habeat tanquam Procurator, ſingularium vero merita cognoſcere non poteſt. *Macen.* In Comitiis Imperii poſt bellum tricennale primis, univerſorum Statuum ſollicitudo fuit emendatio rei forenſis Cameralis, multaque per Receſſum Imperii ad meliorem ordinem deducta, pro maturatione juſtitiæ & litigiorum compendio. Quo in negotio laudatur opera JCtorum Saxonicorum, cum-

(rr) Reſpicit Mæcenas ad verba Amm. Marcell. *lib. 30. cap. 4.*
(ss) Cicero *lib. 2. de Offic. cap. 19.*

cumprimis *Auguſtini Strauchii*, legati Electoralis. *Pomp.* Ita eſt. Optimæ tamen Leges cavere non poſſunt, ne exiſtat abuſus novus, neque etiam prævideruntomnia Legislatores. Præeuntibus deinde exemplis, quæ aliter feciſſe oporteret, jure fieri creduntur. (tt) In Saxonicis Judiciis compendii gratia perorandum eſt Advocatis viva voce, ſcribis verba excipientibus. Quanta vero hic ſit verborum ſuperfluitas, paulo ante inter nos fuit commemoratum. In Imperiali Camera magna olim fuit prolixitas, & confuſio à libellis articulatis. Suſtulit hos Lex Imperii optimo conſilio. Non potuit autem hac lege peritia infundi Advocatorum ordini, ut ſcripta formarent cum brevitate debita & ſimul dilucida. Sæpius enim loco narrationis articulatæ eduntur hodie libelli prolixiſſimi, & in narrationibus obſcuri, accumulando res non neceſſarias, quibus deinde alter pari profuſione reſpondet. Imperator Juſtinianus ſtatuit, ut caveant tam litigatores, quam libellorum dictatores verboſis uti aſſertionibus, & ea, quæ jam perorata ſunt, iterum reſuſcitare. (uu) In Camera etiam jurejurando

 præ-

(tt) Cicero *lib. 4. Epiſt. ad Famil. 3.* Terent. *Heautont. Act. 4. ſcen. 1.*

(uu) *L. fin. §. 4. Cod. de Appellationibus: In refutatoriis autem libellis, qui ſolent maxime in ſacro auditorio prudentiſſimorum noſtrorum Procerum recitari, caveant, tam litigatores, quàm libellorum dictatores, verboſis uti adſertionibus, & ea, quæ jam perorata ſunt, iterum reſuſcitare: Sed hæc ſola eis inſcribere, quæ compendioſa narratione cauſas provocationis poſſunt explanare, vel aliquid novi continent, vel addere quod derelictum eſt. Scituri, quod, ſi hoc fuerit prætermiſſum, non deerit adverſus libellorum conditores ampliſſimi Judicii competens indignatio.*

præſtito hoc promittere debent litigantes cum advocatis. Non tamen memini unquam ampliſſimi Judicii indignationem ſenſiſſe qui contra faciunt. Plurima enim ad hominum ſcientiam, induſtriam, conſuetudinem etiam agendi pertinent, quæ neque præceptis neque pœnis corrigi poſſunt. *Procul.* Obſervavi ego ſæpius expeti Reſponſa ad Acta Cameralia à Collegio noſtro JCtorum, absque dubio etiam fiet ab aliis. Quæ, ſi producant litigantes, non minimum erit Dominis Aſſeſſoribus laboris & deciſionis compendium. *Pomp.* Imo plane nullum. Dudum enim in Imperiali Judicio decrevit Reſponſorum Academicorum auctoritas & exiſtimatio. Errant nimium, qui putant Reſponſis iſtiusmodi præſidium fieri cauſæ. Deciſionum auctores in Judiciis, non tantum ſupremis Imperii, ſed etiam Statuum, ipſi ſunt, queis adminiſtratio Juſtitiæ eſt demandata. Reſponſa Academica ſi proferantur, contemtui non habentur, ſi ſint bene digeſta: plurima nequidem inſpiciuntur. Crediderim ego originem iſtiusmodi Reſponſorum judicio offerendorum eſſe eam, quod olim in Collegiis JCtorum Academicorum ſolidior Jurisprudentia latere exiſtimaretur. Hinc ex Academiis frequentiſſime petebantur Aſſeſſores, qui etiam Reſponſa Juridica Collegiorum venerabantur. Hodie non minores, ſi non præſtantiores, reperiuntur JCti in Aulis & Collegiis Principum, & in ipſo Archi-Dicaſterio Camerali,

quam

quam ſunt in Academiis. Fruſtra iis præcinuntur Juris principia, & axiomata, cum allegationibus permultis Doctorum variorum, quibus plerumque Reſponſa Academica ſcatent. *Mæcen.* Quid ad hæc, mi Procule? *Procul.* Reſpondebo verbis Ciceronis: Fieri non poſſe, ut aliud judicari de Jure, aliud reſponderi oporteat, nec ut quisquam Juris numeretur peritus, qui id ſtatuat eſſe Jus quod non oporteat judicari. (xx) Elargimur nos reſponſa petentibus ſecundum ea quæ proponuntur. Cum vero factum narrari & explicari poſſit modis diverſis, de eventu nihil poſſumus polliceri, ſed relinquendus eſt auctoritati judicantium. Reſponſorum nonnulla veterum & recentiorum breviori ſtudio elaborari potuiſſe facile concesſerim, & ſupervacua eſſe in iis generales Juris regulas & citationes immodicas. Exiſtimo tamen habendam fuiſſe auctoribus rationem & temporis & requirentium, qui ita fieri voluere, idemque obſervandum hodie, cumprimis etiam reſpiciendum, ſi detur notitia Judiciorum, ad quæ reſponſa noſtra ſunt deferenda. *Pomp.* Recte ergo faciunt Principes, Academiarum nutritores, ſi ad ordinem JCtorum eorum præcipue, quorum Collegio facultas reſpondendi publice conceditur, deligant probatiſſimos. Conſpiciuntur in Actis quandoque reſponſa Doctorum privatorum, cum

(xx) *Oratione pro Cæcinna*, *Edit.* Freigii, *Tom.* 1. *pag.* 745. ubi plura ad hunc locum facientia.

çum approbatione Collegii cujuſdam Juridici, eorum tamen multo minor eſſe ſolet exiſtimatio, cum incertum ſit an Collegium approbans de facto ſatis fuerit informatum. Camerali Senatui ſufficit facti genuina expoſitio, additis, ſi quæ ſunt, Documentis: quid ſit judicandum, hoc ex reſponſis diſcendum ſibi eſſe, non putat. *Mæcen.* Cum antea de ordine judiciario, in meliorem formam redacto, per Receſſum Imperii ſermo incidiſſet, renaſcebatur mihi dubium, quod inciderat cum olim forenſi ſtudio darem operam, & ex te, quid ſentias, audire geſtio. Actionum formulas in Camerali Judicio nullas eſſe alias traditur quam tres, *Appellationis*, *Citationis* & *Mandati*, ſive juſſionis pœnalis. Multis difficultatibus implicatas eſſe ſingulas. Appellationis, per circumſcriptiones temporum, quæ dicuntur fatalia, & ſolennitates. In ceteris formulis primæ inſtantiæ, viam Citationis ſimplicis eſſe quidem maxime naturalem; obſtare tamen ſæpius exceptiones fori immediate non fundati. Mandatorum formulas adeo eſſe obſcuras, ut non pateant niſi peritiſſimis, neque ſatis cavere quis poſſit ne in laqueum aliquem incidat Mandati vel Sine, vel Cum Clauſula. Hæc etiam diſtinctio Mandatorum plane inutilis eſſe videbatur, cum iſta clauſula vim præcepti rurſus tollat. Leges Camerales antiquiſſimæ ſimplicioribus formulis fuiſſe conditas, Citationis & Appellationis: nihil ibi extare de Mandatis.

datis. Succeſſu temporis & primum quidem in Ordinatione Caroli V. formulas Mandatorum ab iis, quorum opera uſus eſt Imperator, additas fuiſſe, quibus deinde Supplementa acceſſerint, libro Ordinationis, quem vocant *Conceptum*, inſerta. Ut complectar paucis quæ dicere volui, totus veſter procedendi modus viſus eſt nimium myſteriis involutus, ita ut comparari poſſit cum formulis Romanorum antiquis, quæ nonniſi ab iis qui eas tenebant, petendæ erant, multa præclare quidem conſtituta, ſed Jureconſultorum ingeniis, ut ait Cicero, pleraque corrupta ac depravata. Fateor non mihi ſatisfactum eſſe neque à *Rodingio*, neque à *Blumio*. Hi enim mihi tunc commendabantur tanquam in hoc ſtudio manuductores præcipui. Non eſt adeo difficilis modus procedendi in Judiciis aliis ſuperioribus Statuum Imperii, & facilior in altero Supremorum Imperii Tribunalium, quod celebratur in Aula Imperatoria. *Procul.* Non parvi momenti ſunt quæ propoſuit Mæcenas, ea, quibus rationibus ſit ſoluturus Pomponius, jam intelligemus. *Mod.* Et ego, obſervantiſſimus eſſe volo auditor. *Pomp.* Equidem vellem ut hoc loco temporis eſſet ſatis ad omnia iſta diluenda. Tentabo tamen quid fieri poſſit breviter, omnia enim ampliorem requirunt explicationem. Facile aſſentior Mæcenati, quod non ſatisfecerint ipſi neque *Rodingius*, neque *Blumius*: neuter enim ſcientia ſolida fuit imbutus, neuter etiam

uſu fori exercitatus. Major longe doctrina fuit *Deckherro*, cujus tamen dictionis obſcuritas paucos retinet lectores. Hic, ſi voluiſſet, Syſtemati longe præſtantiori quam eſt Blumianum vel Rodingianum condendo par fuiſſet, is vero in notandis illius aliorumque erroribus lucubrationes ſuas plerumque impendit. Ut ad rem veniam, anticipandum mihi eſt, de quo nemo ambiget, nullum Judicium bene conſtitutum eſſe poſſe absque ordine præſcripto. Nam ſi omnia vel pleraque ex arbitrio meo judicantium agerentur, non poſſent non exiſtere facile, & ſæpius, in errores lapſus, viaque calumnioſis litibus aperiretur. Obſervatis igitur cujuscunque Judicii Requiſitis quæ ratio naturalis dictitat, reliqua pro rerum neceſſitatibus, pro temporum moribus & vitiorum, quibus medendum eſt fervoribus conſtituuntur, augentur & inflectuntur. In principio itaque erecti Judicii Imperialis, cum antea, teſtibus hiſtoriarum monumentis, apud Lehmannum *in Chronico Spirenſi*, Conringium (yy) & alios, in orbe Germano regnaſſet Judiciorum forma arbitraria magis, quam Legibus ordinata, Legislatio fuit ſimplicior, reliqua ſcientiæ & prudentiæ eorum relicta fuerunt, quibus officium judiciarium erat demandatum. Hi igitur pro ratione ſtudiorum iſtius ſeculi decimi quinti & decimi ſexti, non aliud quam Jus

(yy) Lehmann. *Chron. Spir. lib. II. cap. 30.* & *lib. IV. cap. 21.* Conring. *de Judiciis German. §. 41. 52. 61.*

Jus Juſtinianeum præ oculis habuere & Jus Pontificium. (zz) In hoc capita multa Juris Romani erant retenta, alia moderata, cumprimis vero proceſſus forenſis ad formam faciliorem reductus. Hunc fori Pontificis Romani judiciarium procedendi modum ad Germaniæ populorum mores accommodaſſe Ordinationis Cameralis conditores priores, non eſt dubium, quod ſatis patet ex allegationibus in Ordinatione Anno 1508. publicata. (aaa) Proinde, ſi in prioribus iſtis legibus nulla mentio Mandatorum, non propterea exiſtimandum eſt, quod in uſu non fuerint Interdicta & juſſiones. His omnibus enim Citationes erant conjunctæ, quibus etiam comprehenſa fuere Mandata. Veſtigium hujus rei apparet in rubricis Actorum antiquorum Simplicis Querelæ, quorum initium tamen eſt ſæpius aliquod Mandatum, & in ipſis legibus ſimplex querela opponitur Appellationi. Hodie clarius diſtinguimus, primam inſtantiam à ſecunda: Illam vel per viam Citationis ſimplicis vel Mandati. Non itaque per Ordinationem novam Anno 1555. introductus fuit Proceſſus Mandatorum. Hoc opus elaborandum commiſerat *Carolus V.* Imperator viris duobus Conradis tunc Ex-Aſſeſſoribus, altero *Viſchio*, altero *Braunio*, quibus uſus Judicii non fuit incognitus. (bbb)

 Quod

(zz) Vid. Conring. *de Judiciis German.* §. *58. in fin.* & §. *59. 60. 98.*
(aaa) Conſule inprimis Conring. *dict. Tractat.* §. *98. 99. & 100.*
(bbb) Vide *Catalogum Perſonarum ad Annum 1547.* & *Indicem Lit. B.* adjunct. *Edit. noviſſ. Commentat. Syſtemat.* G. M. de Ludolff.

Quod de tribus tantum modis ſive viis Actionum, quæ in Camerali Judicio frequentantur, proponebatur, non puto ſubeſſe hic quidquam myſterii, neque in aliis Judiciis plures formulas, quam Citationis & Mandati in inſtantia prima, Appellationis vero in ſecunda, proditas eſſe ſcio: Difficultatis nihil video in iis, quæ tempore vel modo certo Legibus definiri opus fuit, neque ſunt ambigua iis, qui forenſi ſtudio operam dare ſeria occupatione volunt. In applicatione ſæpius labi Advocatos fateor, ſed hic eſt error hominum, non vero difficultas legum. Quod de Mandatorum Cum Clauſula formulis addere placuit Mæcenati, easdem inutiles plane eſſe non dixerim, & expoſitus eſt eorum uſus diſtincte ſatis, cum reliquis ad praxin fori pertinentibus, in ſcriptis recentioribus apud nos editis. *Procul.* Vidi ex his nonnulla in bibliopolio noſtrate, neque tamen comparavi, quia occupamur in negotiis ad noſtrum forum magis facientibus. *Pomp.* Delectum librorum facit unusquisque pro ratione, voluptate, & uſu ſtudiorum ſuorum. Eam vero non exiſtimo, Procule, eſſe tibi ſententiam, quod Jurisprudentiæ Cameralis uſus tantum ſit in hoc Imperiali Judicio. Eſt potius univerſalis Germaniæ, & pars inſignis Juris publici, ſalvis Juribus Provinciarum & urbium ſingularibus. *Mæcen.* Aſſentior hac in re Pomponio, & ſuaſor ego ſum Jurisprudentiæ ſtudioſis, ut, poſitis bene fundamentis, ad locum Cameræ

Im-

Imperialis ſeſe conferant, ibique forenſia diſcere ſatagant, quibus bene digeſtis, facilior erit in alio Judicio progreſſus. Cui ſunt media neceſſaria, utiliter etiam tempus impendet ad eundem finem in loco Aulæ Imperialis. Quanquam enim Aulici Judicii proceſſus forma cum ea, quæ eſt in Camera Imperiali, per Leges Imperii convenire debeat: Sunt tamen ibi nonnulla peculiaria, ex ipſa Conſtitutione Aulici Judicii, ni fallor, provenientia, inter quæ notatu maxime digna via Reſcriptorum Cæſareorum. *Pomp.* Hæc, quam commemoras, via agendi, mihi viſa eſt ſemper multum habere ſimilitudinis cum noſtris *Mandatis* quæ decernuntur *Cum Clauſula.* Non vero decernitur Mandatum tale, niſi fundata ſit Jurisdictio contra Reum in prima inſtantia. Expoſui cogitationes meas de materiis propoſitis, quantum licuit per convivium. *Procul.* Quoniam de *Blumii* libro, cui titulus *Proceſſus Cameralis*, incidit ſermo, ſcire vellem, an non iſte liber ſufficiat ad notitiam rerum Cameralium. Putabam ego fuiſſe Practicum Spirenſem, celeberrimum quem vos reſpiciatis tanquam Magiſtrum. *Pomp.* In colloquiis cum Modeſtino ſæpius Blumii factam eſſe mentionem, ipſe teſtabitur. *Mod.* Memini non fuiſſe magnificam. *Pomp.* Tantum abeſt, ut iſtum habeamus Magiſtri loco, ut potius inter ſcriptores de rebus Cameralibus non alium locum ſortiatur, quam collectoris diligentis, in numerum Ad-

Digitized by Google

vocatorum Spiræ olim recepti, cui tamen uſus forenſis defuit, unde infirmum undiquaque in ſcriptis prodidit judicium. Hoc auctore utuntur ii ſaltem, qui, dum alius non eſſet, eum ducem à juventute ſunt ſecuti. *Procul.* Erant tamen *Pandecta Rodingii.* *Pomp.* Pandectæ male digeſtæ. Satis dictum de iis *in Obſervationibus Aſſeſſoriis* paucos abhinc annos editis, (ccc) ubi leges, ſi volueris, quis fuerit *Rodingius*, & per quos, ad librum origine parvum, tantæ & inordinatæ factæ ſint acceſſiones. *Procul.* Expetitum nuper à Facultate noſtra Juridica fuit Reſponſum in lite ad Cameram Imperialem deducta, ubi inter alias quæſtiones erat hæc: An Appellatio eſſet deſerta, ſi Appellans requiſitionem Actorum prioris inſtantiæ feciſſet quidem, ſed poſt præterlapſos dies triginta continuos à die & hora publicatæ Sententiæ computatos. Reſpondimus nos juxta Blumium, (ddd) Appellationem habendam eſſe pro deſerta. *Pomp.* Ego vero, quod major vobis fuerit auctoritas Blumii, quam ipſius Legis, non poſſum non mirari. (eee) Verba Legis ſunt aperta ſatis, quod in computatione triginta dierum non numeretur dies publicatæ Sententiæ. Neque duriorem eſſe oportet Judicem, quam ſcriptum eſt

(ccc) *Obſervat. Forenſ.* G. M. de Ludolff *Part. 1. pag. 381. ſeq.*
(ddd) *Tit. 50. §. 8.* & *Tit. 51. §. 2.*
(eee) *Receſſ. Imper. 1654. §. 61.* Daß vor Verſlieſung derer à die interpoſitæ Appellationis nechſtfolgenden 30. Tägen Acta priora requirirt werden ſollen.

eſt in Lege. Eſt iſte locus Blumii in erroribus ipſi familiaribus, ubi proprio ſenſu aliquid definire eſt auſus. Eum cum aliis notaturus fuiſſet *Deckherrus*, ſi Vindiciarum opus, cujus finis in titulo de cauſis Fiſcalibus, ad integrum librum Blumii expurgandum tædioſo labore abſolviſſet. *Procul.* Gratiſſima eſt hæc tua monitio. *Pomp.* Sed vereor, ne Dominos Euſebium & Cornelium pertæſum ſit forenſium horum ſermonum. *Euſeb. Cornel.* Minime, & pergrata nobis eſt earum rerum, quæ nobis alias non occurrunt, notitia. Audire atque diſcere juvat utilia quæcunque. *Macen.* Ego reſponſionibus Pomponii contentum me eſſe fateor. *Procul.* Et ego quid reponam non habeo. *Macen.* Utendum mihi eſt tempore, cum diſceſſurum mox eſſe Pomponium audierim. De multitudine cauſarum & expeditionum tarditate in Camera Imperiali, cum antea ſermo incidiſſet, redit mihi in memoriam, quod neſcio à quo audiverim, plurimas vacationes, in Camera quovis anno conſuetas, negotiis multum inferre moræ. *Pomp.* Iniquus hic fuit, quisquis ſit relator. Nam ſi numerentur dies Dominici ordinarii & feſti cultui divino deſtinati, faciunt hi toto anno numerum magnum in univerſo orbe Chriſtiano. Reliqui dies ſunt quidem vacationum à Senatu, minime vero à laboribus. Niſi enim domeſtico ſtudio præparentur & elucubrentur in Senatu proponenda, tempus frequentationi deſtinatum inutiliter,

liter, quod non ſolemus, abſumeretur. Animalcula quædam terreſtria, ut æſtatis tempore loculos impleant cibis quibus veſcantur hyeme, natura docuit. Vacationum dies Aſſeſſoribus ſunt conceſſi pro congerendis laborum ſarcinis. Porro dandum eſt etiam temporis aliquid ad reſpirandum, & per Leges noſtras abeſſe licet unicuique Aſſeſſorum diebus duobus ſupra quadraginta toto anno, qua libertate non utuntur omnes. *Macen.* Audio tamen, poſt auctum jam dudum numerum Aſſeſſorum, Collegium Camerale uti nihilominus in hunc uſque diem more priſtino duplicium dierum feriatarum, quæ per *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 38.* fuerunt abrogatæ. *Pomp.* Fit hoc conſenſu tacito Imperatoriæ Majeſtatis, cui primis à finita Viſitatione annis rationes humillime fuere indicatæ à Collegio. *Macen.* Licetne ſcire eas, quas habuiſtis, rationes. *Pomp.* Primò, in numero dierum totius anni, frequentationi Senatus deſtinatorum, adhibitis plurium annorum Calendariis, nullam fere obſervavimus differentiam, ſive duo eſſent dies feriarum immediate continuati, ſive unus. Quoniam numerus dierum vacationis permiſſus dicto loco Receſſus Viſitationis, ultra ferias ordinarias, toto anno eſt æqualis fere numero dierum ſecundariarum, ita ut quandoque plures ſint in anno dies juridicæ Senatus juxta conſuetudinem antiquam, quam forent ſecundum Receſſum Viſitationis. Eam enumerationem an adhibuerint Domini Viſita-

ſitatores, vel is, qui ex ipſis hujus articuli fuit auctor, mihi eſt ignotum. Deinde in elucubrationibus domeſticis multum ſane refert, an aliquis biduo continuo labori Actorum incumbere queat, an faciendum hoc ſit opera interrupta per frequentationem Senatus. Neque etiam, ſi Dominos Aſſeſſores Rom. Cathol. Religionis ſpectes, hiſce tempus ad labores eſt datum, niſi in ipſo die feriato Acta judicialia tractare jubeantur. Eſt ergo mos priſtinus officii faciendi cauſa longe utilior. *Mæcen.* Non ſunt vanæ hæ rationes, neque ego, cum Receſſum Viſitationis à Subdelegato huc tranſmiſſum perlegerem, hæc intellexi. Ratio etiam numeri XIII. Aſſeſſorum dicto loco mihi viſa eſt perobſcura. Aucto enim eorum numero non minor neque major unicuique incumbit labor, quam cum eſſet infra XIII. *Pomp.* Mihi quoque hujus articuli rationes non patent. Hoc ſcio, quod vacationum tempore non abutantur, ſed in labore verſentur plerumque, qui officio debite fungi voluerint. *Cornel.* Commodum ergo non eſt officium, quod in ipſis feriis anxietate laborum eſt oneratum. Militibus ſi vacatio datur, animo indulgere licet. *Pomp.* Commodius eſſe credo pacis tempore officium militare. *Cornel.* Imo maxime incommodum, jam pridem enim expeditionem anhelavimus, machæram feriatam geſtitantes, quæ animum ferme deſpondit. *Euſeb.* Bona verba! *Mod.* Pacis cauſa bellum ſuſci-

 piuntur.

pitur. Ergo ſi pacem habemus, in bellum ire non eſt opus. *Cornel.* Ut pace fruamur acceptum eſt ferendum legionibus armatis. *Macen.* Pacis tempore de bello cogitandum eſt, neque conſilia militaria deponenda, ut vivatur in pace ſine metu injuriæ. (fff) *Cornel.* Qui exauctorationem militum pacis tempore ſuadent Principibus, non ſunt conſiliarii boni. Longe difficilius enim miles conſcribitur, quam conſervatur. Quamdiu pace frui liceat, eſt incertum, & rariores ſunt rei militaris periti, quam literarum. Hi enim ſcientiam adquirere poſſunt ex libris, militaris diſciplina magis diſcitur experientiâ. *Macen.* Recte tu quidem de conſervanda militum copia ratiocinaris, neque ego pro cujusque regionis amplitudine diſſentio. Magnam enim partem auctoritatis Principum conſiſtere in copia militum docent hiſtoriæ antiquæ & modernæ, neque ſola valere conſilia bona. *Cornel.* Principes niſi milites alerent, tota regio etiam in pace à latronibus non foret ſecura. Bellica tempeſtate tantæ prædonum greges non audiuntur, quam hoc in quo vivimus tempore pacifico. Multi ſunt hominum, qui, quod non reperiunt rem belli, eunt latrocinatum. Tandem, quæ major poteſt eſſe Principum gloria, quam ſi legiones hominum alantur & in diſciplina contineantur, qui alias forent de pane quærendo anxii, quibus otium ad vitia præbet occaſionem.

Agri-

(fff) Cicero *lib. 1. Offic. cap. 11.*

Agricolarum & artificum eſt affatim. De Advocatorum copia Reipublicæ noxia vos hucuſque diſſeruiſtis. Eccleſiaſticis rebus præfici poſſunt pauci. Monachalis vita pluribus non arridet. Miſerrimus eſt, qui cum eſſe cupit, quod edat non habet. (ggg) Sumtus ſi comparentur cum iis quæ ad voluptaiias res expendunt alii, major & conſtantior eſt impenſarum utilitas quæ fiunt in rem militarem. Deinde cuicunque fere homini, niſi plane obſcuro, innatam eſſe gloriæ cupiditatem puto. Ad hanc conſequendam primam eſſe commendationem, ut ex bellicis rebus comparetur, didici olim ex libris de officiis. (hhh) Et ſummam dignitatem eſſe in iis, qui militari laude antecellunt, idem pluribus ediſſerit in Orationibus, omnia enim quæ ſunt in Imperio & in ſtatu civitatis, ab iis defendi & firmari: Eorum conſilio & periculo Rempublicam & civium quemlibet ſuis rebus perfrui poſſe. Cedat, inquit ille, forum caſtris, otium militiæ, ſtilus gladio, umbra ſoli. *Mæcen.* Præclare tu quidem, Corneli, pro militibus loqueris, neque me habes multum diſſentientem ſi conſideretur officium militare in ordine debito. Meminiſti tamen, credo, quod eodem libro quem allegaſti, (iii) idem auctor jubeat, ut, qui adipiſci veram gloriam volet, Juſtitiæ

Ff 2 fun-

(ggg) Plaut. *Captiv. Act. 3. ſcen. 1.*
(hhh) Cicero *lib. 1. Offic. cap. 13.*
(iii) *Dict. cap. 13.*

fungatur officio. Multas extitiſſe urbanas res majores clarioresque quam bellicas, parva eſſe foris arma niſi ſit conſilium domi. Cedant arma togæ, concedat laurea laudi. (kkk) Porro in defenſionibus vel actionibus facundiam Oratoris cauſæ inſerviiſſe non eſt dubium, neque ipſum argumenta omnia tanquam theſes, quæ veræ eſſet omni loco & tempore, protuliſſe. *Procul.* Rectiſſime judicat Mæcenas, & exemplo eſt illa pro Muræna oratio, in qua de Juris civilis ſtudio contemtim loquitur, quod tamen alibi laudibus extollit. *Mæcen.* Sit itaque laus militiæ & militarium rerum ſcientiæ, ſit etiam literarum & Jurisprudentiæ ſtudiis, cuique in ordine debito. *Cornel.* Non repugno, & utramque ſcientiam conſiderari velim tanquam ſociatas in eadem Republica ad auxilia mutua. Literarum ſtudia militi non eſſe oneri, ſed eum, qui cumprimis in obſcuritate & in hominum ignoratione non vult ſubſiſtere, maxime eſſe adjumento, plane ſum perſuaſus. In bello & acie animo præſenti uti oportet & conſilio, neque à ratione diſcedere neque committere aliquid, ut aliquando dicendum ſit *Non putaram.* (lll) Hoc vero ut fiat, quanquam res ſit ingenii magni, plurimum tamen deberi literarum ſtudiis, nemo ibit inficias. *Mæcen.* Conſentio. Eos etiam Reipublicæ Principum Con-

(kkk) Cicero *lib. 1. Offic. cap. 22.*
(lll) Cicero *lib. 1. Offic. cap. 23.*

Conſiliarios eſſe optimos, qui fortitudine pollent & domeſtica & militari, h. e. virtutibus pacis non minus quam belli. Laudanda itaque tua, Corneli, diligentia, quod in eo, quod geſſiſti dudum officio, bonarum literarum memoriam non depoſueris. *Cornel.* Literis imbutum fuiſſe à juventute nullum pœnituit militem, neque etiam veteres militiæ Duces Philoſophiam neglexiſſe ſcio. Militaris homo ſi conſenuerit, in literarum ſtudiis inveniet requiem. Sapientiæ enim ætas eſt condimentum, ſapiens ætati cibus. (mmm) *Euſeb.* Neque mihi diſplicet Cornelii noſtri philoſophia, ſi & milites & jurisperiti quisque ſuum recte faciat officium. O felicem tunc Rempublicam! Sententiis veſtris, quas ex Scenarum Romanarum Oratorum & Poëtarum ſapientia protuliſtis vos jucundiſſime, ego jungere vellem verſiculos Poëtæ Germani non invenuſti, (nnn) quos ex memoria recitabo:

Officium ſi quisque ſuum moderamine juſto
Rite miniſtraret, laus ſibi magna foret.
Hic eques ut gladiis inopes defenderet, atque
Cum viduis pueros, emeritosque ſenes.
Quo duce tuta foret ſemper Reſpublica, quo ut
Latrones fugerent per fera luſtra procul.
Hic calamo juſtas leges conſcriberet, atque
Juſtitia normam panderet arte ſua.

(mmm) Plaut. *Trinum. Act. 2. ſcen. 2.*
(nnn) Paraphraſtes *Latinus Navis Stultiferæ* Sebaſtiani Brand *in Edit. poſteriore Anno 1497. fol. 70.*

Cornel. Videris mihi, admodum Reverende Domine, excludere velle ordinem Eccleſiaſticum. Ab hoc enim, cum maxima bona derivari debeant in Rempublicam, optandum foret inprimis, ut officium ſuum quisque rite miniſtraret. *Euſeb.* Omnino, quæ dicis, probo. Tanto conſpectius eſt vitium in iis, qui aliis doctrina & exemplo præire debent. *Macen.* Abducti vero ſumus ſermocinatione veſtra à mentione feriarum. Recogito controverſiam quæ fuit Anno 1724. occaſione Feſti Paſchalis & Calendarii emendati. Commemorare volebam veſtram Aſſeſſorum inconſtantiam, quæ non poterat non diſplicere nobis. *Pomp.* Hujus hiſtoriæ quoniam meminiſſe placet, paucis reſpondeo, Domine, in loco quo tu es & officio, facile hoc eſſe dictu. Aſſeſſores vero, inter ſacrum & ſaxum ſtantes, ii non erant, quos periclitari oporteret, & negligere futura, in cauſa, quæ auctoritate ſuperiorum erat defendenda, non vero noſtrâ. *Macen.* Intelligo quid dicere velis. Inpoſterum proſpicietur mature. *Pomp.* Si Deo placuerit vitam largiri & pacem in his terris. Adveſperaſcere diem ſentio; Surgendum tandem erit à refectione & obambulandum. *Procul.* Recte monet Pomponius, prandium enim fuit & lautum & longum. *Euſeb.* Fruiti ſumus beneficio Mæcenatis non cibis tantum & potulentis optimis, verum etiam confabulationibus jucundiſſimis. Hi enim vere læti ſunt ſermones, quos

Digitized by Google

quos ſemper & dixiſſe juvat aut audiſſe, & ſemper delectet meminiſſe. *Mæcen.* Honeſtiſſimi ſunt convivæ, qui, ſi quid deſit epulis, ſatiari poſſunt confabulando. *Cornel.* In Italia fuiſſe quendam, narratur in Colloquiis Eraſmi, qui nullo neque cibo neque potu adjutus, conſueverit ſaginari ſomno. Colloquendo vero etiam animus recreatur. *Euſeb.* Memineris vero tu, repræſentaſſe Eraſmum quandoque colloquentes fabuloſos. Hoc affirmo, quod ſuaviſſimum ſit convivium philoſophicum, quo reficiuntur etiam animi. *Cornel.* Non exiſtimo, Philoſophos negligi velle collegas. *Euſeb.* Quoſnam? *Cornel.* Corpora, quæ animorum ſunt collegæ, alioqui ad anguſtum domicilium mox detruderetur corpus. *Euſeb.* Aſſentior, neque etiam Eraſmus meditatus eſt convivia triſtia. Hodie ſane refecti ſumus affatim & corpore & animo. *Pomp. Procul. Mod. Cornel.* Nihil omnino deſiderari potuit, & gratias debemus Mæcenati benefactori noſtro ampliſſimas. *Mæcen.* Ne feſtinetis quæſo abitum, Domini, dum ego cum Pomponio ſeorſim colloquar. Cornelius interim ut vices meas brevi tempore ſuppleat, rogo. *Cornel.* Faciam libenter, & video abacum non eſſe à poculentis vacuum. *Mæcen.* Nolite eſſe ſolliciti. Vos famuli juſſis eſtote obedientes. Introëamus in muſæum, Pomponi, ut ex te diſcam propius, quidnam ego ad deſideria Collegii Cameralis conferre queam, omnem

omnem operam atque ſtudium, quantum in me ſitum eſt, promitto. Non vero dubito, à vobis ipſis & Cæſari & Comitiis Imperii, quid facto opus ſit, eſſe repræſentatum. Comitiale conſultum Anno 1719. editum, cum confirmatione Imperatoria ſcio. Vidi etiam ſequentia de eadem materia. Quid reliquum ſit audire geſtio. *Pomp.* Gratias ago, Domine, pro benevola animi tui declaratione: eundem vero Procerum Imperii miniſtris omnibus eſſe optamus. Conſulta atque Concluſa Comitialia, quæ poſt annum 1719. fuerunt publicata, neſcio quid difficultatis & dubiorum in negotio Suſtentationis Cameræ Imperialis in ſe continent, adeo, ut videantur ſiniſtra manu negaſſe, quod datum & conſtitutum erat dextrâ. *Mæcen.* Intelligo per moderationes Matriculæ. *Pomp.* Minime erras. Neceſſarias fuiſſe moderationes alicubi, non repugno, cum vero ad capita ſingula deveniretur, nos certe non expectaſſemus tantum & perquam ſenſibile fore matriculæ decrementum. Altero enim ut careamus, neceſſe eſt: vel Aſſeſſorum numero, vel ſalariorum quantitate. Utrumque vero voluit, Concluſum Anno 1719. & numerum XXV. Aſſeſſorum, & horum, cum Domino Judice, & utroque Domino Præſide, ſalarium duplo augendum. Eſtne ad manus Concluſum, de quo loquimur? *Mæcen.* Eſt, in Corpore Juris Cameralis Francofurti noviſſime edito. Ecce librum.

brum. *Pomp.* Evolvam, niſi moleſtum fuerit. Expende quæſo Articulum quartum integrum, & agnoſces, annis ſequentibus ſatisfactum eſſe quidem & abunde promiſſis de moderando quanta matricularia plurimorum Statuum. Quæ vero fuerint hucuſque de redintegrando fundo conſilia, & quo effectu in præſtandis ſolutionibus, non opus eſt, ut exponam tibi. Quam facilis fuerit in Comitiis deliberatio, ſi v. gr. urbs aliqua Imperialis exemtionem à matricula Camerali deſideraverit, non poteſt eſſe tibi, Domine, ignotum. *Mæcen.* Quare non largiamur exemtionem ad tempus urbibus per incendia devaſtatis, vel per calamitates bellicas? *Pomp.* De æquitate remiſſionis dicere non volo. Neque meum eſt, normam omnesque rationes moventes iſtarum remiſſionum moderationumve indagare. Hoc intelligo, faciliorem eſſe viam faventes arbitratores invenire, ſi id, quod remittitur, aliis non ſit oneri, h. e. ſi reliquis Statibus non adcreſcat. Æquiorem tamen mentem Dominorum Legatorum in Comitiis eſſe puto vel fore, quam, ut omne id, quod per Remiſſiones Cameralis Suſtentationis fundo detrahitur, membris Collegii in ſalariis decreſcere debeat. *Mæcen.* Hoc ſane ego æquum non cenſerem, neque id fuit conſilium noſtrum cum inſtrueretur Legatus. *Pomp.* Quid vero inde exorietur? Si ſingulis non debet eſſe oneri hoc decrementum, neceſſe eſt, ut maneat onus Rei-

Gg publi-

Digitized by Google

publicæ univerſæ, perinde ut in moderationibus, vel remiſſionibus Matriculæ Imperialis Contributionum publicarum. Adminiſtrationem Juſtitiæ per numerum Aſſeſſorum ſufficientem, ſalario condigno lege publica ſtabilito ſuſtentatum, voluit Lex publica Imperii Anno 1719. 1720. Deminutio fundi Suſtentationis non poteſt non facere vel ad onus ſuſcipiendi ſupplementi, vel ad inveniendum conſtituendumque fundum alium, vel, ſi neutrum placuerit, ad deminutionem numeri Aſſeſſorum, h. e. ut Reſpublica univerſa hoc ferat damnum, multique, qui maturationem Juſtitiæ exoptant, per minorem operariorum tantæ meſſi non ſufficientem, in ſpe dubia diu hærere debeant, quo tandem tempore Sententiam aliquam ſint obtenturi. Neque enim duas res ſibi contrarias ſimul velle Status Imperii, eorumque Legatos, credendum eſt. Neque hæc res, ubi agitur de alimentis, longas patitur & ambiguas, dicere non volo invidioſas, deliberationum moras. Interim pro eo qui eſt Aſſeſſorum numero, Sententiarum publicatarum magna copia, etiam definitivarum, quovis anno auditur, ut nihil dicam de Decretorum extrajudicialium multitudine. *Mæcen.* Multa millia ex ſolvendis ſummis reliqua eſſe audivimus, ex quibus ſors magna confici poteſt, ut ex uſuris fundus Suſtentationis Cameralis redintegretur. *Pomp.* Permagnæ ſummæ reſiduarum præſtationum enarrantur quidem in rationibus,

nibus, ſed de ſolutione facienda nemo adhuc eſt ſollicitus. Quod in Concluſo Anno 1719. fuit injunctum de obſervando modo Executionis, Sanctione Imperii Anno 1654. præſcripto, hoc ipſum in noviſſimis Concluſis diſplicuit. Ambigua eſt hucuſque cum Matricula Camerali omnis etiam executio, adeo ut fortuito ferme caſui ſit adſcribendum, ſi quis Imperii Procerum ea ſit benevolentia, ut ſolvi faciat aliquas ſummas, quibus præſens Collegium ſuſtentetur leviter. Et tamen ſunt, qui de numero XXV. non completo conqueruntur. His rebus omnibus remedium à nobis proficiſci non poteſt. Niſi capiantur conſilia firmiora, vel, quæ capta ſunt ad effectum perducantur, metuendum eſt, ne ea, quæ fuerunt in tabulis Pacis Anno 1648. & ſequenti Receſſu Imperii Anno 1654. de Judicio Camerali ſtabiliendo conſtituta, plane ſint ceſſatura. Nondum depoſuerunt animum Aſſeſſores, meliora adhuc ſperantes. Scriptum & monitum ſatis fuit Collegii nomine, tantumque abeſt, ut gratiam inierimus, ut potius inconſulte feciſſe videamur, & inpoſterum à monitionibus nobis ſit abſtinendum, nihilominus vero laboribus incumbendum. Avertat Deus tempeſtates in patria bellicas, tunc enim triſtiora Cameralis Judicii fata maxime erunt metuenda. (ooo) Cogita, Domine, quanta poſ-

(ooo) Sermones hos ad Pacis tempora reſpicere, intelliget Lector. Conſerti enim fuere Anno 1730.

Digitized by Google

poſſit eſſe in officio alacritas, ſi fatiget ſemper rei familiaris cura, ita ut parte ſalarii, quam attingimus toto anno, utamur quidem ad neceſſitates ſummas, non vero fruamur, quia ſemper reſidua manet pars major. Quam minime vero ſuperfluum ſit ſalarium, Anno 1719. lege conſtitutum, unusquisque, cui eſt familia, apud ſe experitur. Expoſui hac de re aliqua Modeſtino in alloquio primo, quæ interrogatus recenſere tibi non gravabitur. *Macen.* Factum jam eſt nudius tertius. Accipimus nos frequenter Relationes Comitiales, atque ſecundum ea, quæ à Legato ſuppeditantur, ipſi reſcribitur plerumque. Utar autem informatione tua inpoſterum. Agnoſco rei & neceſſitatem & æquitatem. Concluſum noviſſimum poſt adprobationem Cæſaream omnes ſuſtulit difficultates. *Pomp.* Utinam cum effectu! *Macen.* Repeto pollicitationem meorum officiorum ſinceram, ubicunque utilis eſſe potero vobis, & ſpeciatim, Pomponi, tibi. Conſtituiſtin' abire Wetzlariam adeo mature? *Pomp.* Id quidem & temporis & laborum ratio requirit. Proinde tuo, Domine, favori, cumprimis vero Principis veſtri clementiſſimi, officioſiſſime me commendo. *Macen.* Quoniam ita urges diſceſſum, peto, jubeoque memor ſis contractæ mecum amicitiæ, precorque tibi felicem & itineris & reditus laborumque omnium ſucceſſum. Revertamur, ſi placet, ad hoſpites reliquos qui nos expectant. *Pomp.* Unum

adhuc

Digitized by Google

adhuc peto, ut libri, quem poſſides, Corporis Juris Cameralis uſum permittere velis Modeſtino. Is enim deſiderio ducitur perluſtrandi. *Mæcen.* Perlibenter, Modeſtine, volumen hoc aſportare tibi licebit, reſtituturus mihi poſt ejus uſum. *Mod.* Gaudio magno afficior, quod inveniam expetitum librum: accepto igitur oblatum ejusdem uſum. *Cornel.* Ego, quantum potui, amicos colloquiis & interpoſitis calicibus, retinui. Unus diſceſſit Euſebius. *Mæcen.* Eum absque dubio revocavit munus Eccleſiaſticum. *Procul.* Et jam tempus monet, ut valedicamus, & gratias agamus. *Cornel.* & *Mod.* Nobis hoc ſæpius eſt faciendum, cum frequentiſſime fruamur benevolentia Mæcenatis. *Mæcen.* Valete ergo, epulas hodiernas æqui bonique conſulentes.

COLLOQUIUM
SEPTIMUM.

Modeſtinus: Pomponius.

POmp. Ego te Modeſtine hora matutina quæſitum veniens, vocatum te fuiſſe ad Mæcenatem comperi, interim à Benigna tua humaniſſime exceptus & decocto ſolito ex fabis Indicis bene nutritus. *Mod.* Perplacet uxoris civilitas erga te nobis amiciſſimum. Redeo à Mæcenate, qui ut impertirem te

multa ſalute juſſit, atque pergratum fuiſſe ſibi te convivam, multis verbis eſt teſtatus. Prandium enim confabulationibus utilibus pariter ac jucundis conditum pluris ſe facere, quem ſi ſollicitum eſſe oporteret præcipue, ne cuiquam forte ex convivis eſculentis & poculentis copioſe non fieret ſatis. *Pomp.* Ea in re me valde habet conſentientem, neque ego alibi quam ubi ſit inter cibos etiam utilitas ſermonum, prandere malo. Si in convivio heſterno gratæ fuerint reſponſiones meæ, erit de quo mihi gratuler. *Mod.* Dubitare noli. Verum ut utamur tempore, reſumamus, ſi placet, lectionem Ordinationis. Heri ante quietem perluſtravi quæ ex colloquio præcedente memoriæ gratia paucis verbis in adverſaria conjeceram, & incidit mihi ad *§. fin. Tit. XII.* dubium, quænam fuerit ratio prohibendi ne certiores reddi debeant litigantes, cui ex Dominis Aſſeſſoribus Acta ſint diſtributa. Tantum rigorem in Judiciis aliis celebribus non obſervari, compertum habeo. Non etiam perſpicio quid interſit ad Juris adminiſtrationem ſi etiam notus ſit Referens litigantibus, qui, ſi ſint incerti, plures ex Dominis Aſſeſſoribus alloquio inutili fatigant. De Aſſeſſore unoquoque vero nihil quod officio non ſit conveniens metuendum. Tandem qua ratione caveri poſſit, ne unquam Referens innoteſcat, ego diſcere vellem. *Pomp.* Quæ tu ex *dicto §. in Tit. XII.* commemoraſti, ad officium Judicis pertinent. Paralle-

rallela ſunt, quæ alibi leguntur *Tit. XIX. §. fin.* ex prioribus Ordinationibus & Receſſibus Viſitationum, in margine allegatis, deſumta. Sciendum eſt autem, Leges has prohibitorias, quemadmodum aliæ plurimæ in Legibus cum divinis tum humanis, reſpicere ad hominum propenſionem vel conſuetudinem faciendi contrarium. Quod itaque indicatio Referentis, in negotiis judiciariis abuſibus variis dederit occaſionem, ex hisce Legibus non obſcure colligitur, neque ego puto ullius Judicii bene conſtituti eum eſſe morem, ut vel à Directore, vel ab aliis, litigantes ad Referentem ablegentur publice, & qui hoc fecerit, male omnino egiſſe cenſendus erit. Magnum vero eſt diſcrimen an litiganti cuidam, quis ſit cauſæ Referens, palam indicetur, an alia via hoc ipſi innoteſcat. Tales vero poſſunt eſſe multæ, neque tu, Modeſtine, aberras, ſi credis, quod, ne unquam certiores fiant litigantes, caveri vix poſſit. De integritate Dominorum Aſſeſſorum dubitandum non eſt. Quotusquisque autem ex his, cauſæ Referens, ſi ab iis quorum ſunt Acta, fatigaretur alloquiis quandoque importunis, hoc feret patienter? Ut admittantur ſollicitantes ſemel atque iterum, humanitas exigit, vel perſonarum dignitas. Frequentia alloquia ſollicitandi cauſa ſunt incommoda, nihilque ad maturationem faciunt. *Mod.* Quamobrem vero, ſi mora videatur eſſe Referentis? *Pomp.* In tanta Actorum diſtributorum

torum copia, qui Dominis Aſſeſſoribus modernis moram imputant, de ſtatu Judicii non ſunt informati. Deinde, ſi per valetudinem aut ætatem aliquis fuerit tardior, remedium erit à patientia. Nullus Aſſeſſorum ægre feret, ſi à Domino Judice ipſi aliquid oneris Actorum, in quibus nondum laboravit, adimatur, quod tamen, ut in ſe recipiat alius, longe eſt difficilius. Novitii in officio, alacriter ſolent aggredi omnia ſibi impoſita, ſucceſſu temporis & per continuatos labores devigeſcere ſe ſentiunt. Multum etiam refert, quis ſit, cui Referens cauſæ ſit cognitus, an homo prudens, an impudenter garrulus, vel importunus. Talem ut à ſe amoliatur Referens, retradere poterit Acta Domino Judici, excuſatione juſta, quod iſte homo de Referente ſit factus certior. Hinc quibus ea contigit notitia, loqui ſolent prudenter, ne, quod ſciant, intelligatur. Tandem obſerves velim, Modeſtine, quod ingrata ſemper ſit Dominis Aſſeſſoribus allocutio litigantium vel Advocatorum, qui exiſtimant, neceſſariam eſſe vel utilem informationem privatam. Neque enim alia opus habemus inſtructione, quam quæ ex Actis deſumit quisque Referens operâ non alienâ, ſed propriâ. *Mod.* Intellexi.

Tit.XIV Pergamus nunc ad *Tit. XIV.* quem ego, nactus jam Corpore Juris Cameralis editionem recentiorem, cum ſequentibus nonnullis ad colloquium hodiernum præparando me perlegi, atque hic explicatione multa opus

opus mihi fore animadverti. Cauſam inſtitutorum Senatuum ex principio tituli capio, agnoſco etiam neceſſitatem in magno Senatorum numero, ad quem nullus ſolius tituli & ordinis gratia adſciſcitur, & permagna rerum judicialium copia. Multum quippe fore impedimentum in rebus dijudicandis, ſi vota reddenda eſſent ab omnibus, & facilius convenire poſſe atque conciliari vota paucorum. Quod vero de Senatuum numero ibidem ex Receſſu Viſitationis Anno 1600. deſumtum lego, meditatione mea non aſſequor. Labores hic indicari putarem Senatorum fere octoginta, cum tamen in principio libri numerentur tantum XLI. *Pomp.* Unde vero tu octogenarium colligis numerum? *Mod.* Quinque Senatus cauſarum definitive decidendarum faciunt numerum XXXV. ſi in quolibet Senatu ſint Aſſeſſores ſeptem. Deinde in ſex Senatibus interlocutoriarum erunt XXXVI. Et porro mentio fit reliquorum, qui in negotiis levioribus occupati eſſe deberent. *Pomp.* Exiſtimare non debes, in undecim, quos Domini Viſitatores eſſe voluerant, Senatibus, congregari Aſſeſſores diverſos, cum poſſint eſſe iidem in Senatu mox definitivarum, mox interlocutoriarum, neque enim ſemper agitur de Sententia definitiva, ſæpiſſime de interlocutionibus. Ergo quinque iſti Senatus facient numerum XXXV. Reliqui Senatorum numero ſex, ad expediendas vel deciſiones leviores vel ſupplicationes

Hh ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiunt, qui, cum ordo referendi eos tangit, ad Senatus vocantur, aliis interim recedentibus. *Mod.* Donec ergo erit numerus Aſſeſſorum XLI. non poterunt obſervari ea, quæ in lege veſtra ad talem numerum reſpiciunt. Et per ipſum Receſſum Imperii Anno 1596. conditum *§. 64.* numerus iſte, ſexennio exacto, rurſus erat incertus. *Pomp.* Iſtud quidem rectius colligis. Decreſcente enim, cum mediis Suſtentationis, Senatorum numero, non poteſt non minui numerus Senatuum. Et ea, quæ in Legibus ad numerum Aſſeſſorum majorem reſpiciunt, obſervabuntur, quantum in eo, qui eſt numerus, absque detrimento laborum & juſtitiæ fieri poteſt. Verum enim vero, ſi complebitur numerus Aſſeſſorum XXV. juxta Legem Imperii noviſſimam non erunt ordinarii Senatus definitivarum plures, quam tres, numero Aſſeſſorum pari. Ita, ut ſeptem, qui ſuperſunt, interim in negotiis reliquis judiciariis vel Supplicationum laborent. Peculiares enim Senatus interlocutoriarum conſtituere opus non eſt, neque hanc fuiſſe mentem præſentis tituli, finis principii, **doch auch dergeſtalt /** patefacit, juncto *§. 6to*, de quo mox agemus. *Mod.* Verba hæc magnum mihi injecerunt dubium, quod ſeparari debeant Aſſeſſores, durante aliqua Relatione, & alii in eorum locum ſuccedere. Quænam hæc rerum confuſio, præcedenti titulo *§. 13. 19.* contraria? *Pomp.* Ad modum referendi anti-

antiquum hæc pertinent, qui multorum menſium ſpatium requirebat ad abſolvendam relationem unam. Proinde ne alia negotia, quæ unicuique Aſſeſſorum incumbebant, interim quieſcerent, & damnum ex mora oriretur, abrumpendas eſſe quandoque Relationes prolixiores ſtatuitur, & Senatores aliquamdiu ſeparandos. *Mod.* Monueras autem tu heri, multum prodeſſe, ſi relationes continuata deliberatione abſolverentur. *Pomp.* Diſtingue, mi Modeſtine, tempora. Locutus ſum de Statu Collegii & modo referendi hodierno. Differentiam vero intelliges ex ſequentibus. *Mod.* Dixeras antea, Senatus jam conſtitui numero ſex Aſſeſſorum, cum tamen lex veſtra requirat ſeptem. Et impar numerus videtur eſſe utilior, ne, ſi æqualis forte exoriatur numerus diſſentientium, nihil ſit actum. Quæ ratio, quod ſenarius numerus magis placuerit, quam ſeptenarius? *Pomp.* Originem numeri ſenarii exiſtimo eſſe à paritate Aſſeſſorum diverſæ religionis, quæ hoc ipſo titulo *§. 8.* præcipitur. Nam, ſi hac opus eſt ad proceſſus decernendos, multo magis erit obſervanda in cauſis decidendis. Deinde à decreſcente Senatorum in Collegio numero, vel à difficultate concluſi, ſi inter Aſſeſſores ſeptem tres in contrariam irent ſententiam, de quo caſu ad *Tit. XXV. §. 4.* erit agendum. *Mod.* Expectabo avidiſſime. Hic vero, ſi placet, oſtendes viam ad concluſionem faciendam, ſi ſint

Hh 2 vota

vota diſſentientia numero pari. *Pomp.* Indicatur via in *§. 1.* & eſt naturalis, ut accerſantur per Dominum Judicem in Senatum alii. *Mod.* In *§. 2.* nihil video dubii, & intelligo, utrumque Referentem eſſe debere membra ejusdem Senatus. *Pomp.* Repetitur hoc *in Receſſu Viſitat.* *§. 34.* & quod in utroque loco additur: So viel möglich: trahi non debet ad arbitrium, ſed ad caſum talem, in quo aliud fieri jubet neceſſitas. *Mod.* Porro, cum ex præcipuis partibus officii Domini Judicis ſit ordinatio Senatuum, multum requiri prudentiæ & diſcretionis in conjungendis Aſſeſſoribus, vel disjungendis. *Pomp.* Optime judicas. Non ſolum haberi debet ratio conſanguinitatis, doctrinæ atque induſtriæ: conſule hic *Receſſ. Viſitat. dicto §. 34.* ſed etiam morum, quos, ſi difficiliores eſſe & diſcordiarum ſemina, experientia docuerit, conjunctionem virorum, inter quos difficilis ſit concordia, frequentiſſimum contradicendi ſtudium, mutandum fore, prudentia dictitabit. *Mod.* Nimirum in rebus humanis nulla eſſe poteſt perfectio. Felicior in Republica ſtatus eſt is, qui ab imbecillitatibus magis eſt liber. Neque male ſentire puto recentiores quosdam Philoſophos, qui differentiam inter homines ſtatuunt non ſolum individuorum, ut ajunt Dialectici, ſed variarum etiam ſpecierum. *Pomp.* Non diſplicet digreſſiuncula, fac, ut quid dicere velis, intelligam. *Mod.*

Mod. Animalium ſpecies ſunt v. gr. inter quadrupedes equi, canes. Nemo crediderit, unumquemque equum, vel canem, ad omnia officia, equina & canina, eſſe aptum. Differunt enim ſpecie equi ad curſum apti, alii ad hominum commoditatem, ad pugnam, ad exercitia, denique ad trahenda onera vel portanda. Canum alii ad capiendos lepores, ad feras perſequendas, alii ſolius voluptatis vel delectamenti fœminarum gratia ſunt nati. Singulas vero ſpecies eſſe diſtinctiſſimas crediderim. Pari ratione verum erit, animalia rationalia à brutis non differre ſpecie, ſed genere ſubalterno, cujus ſpecies ſunt diverſæ. Diſtinguuntur enim homines non tantum facie, corporis habitu, inceſſu, voce, literarum quas ſcribunt ductu, ſtylo, ſed etiam, ut cum Medicis loquar, temperamento, & ex hoc fluente animi caractere, commodo & incommodo, moribus, aptitudine, ingenio, omni denique vivendi & agendi modo. Qui, quo difficilior, & in conſortio magis ab aliis alienus, tanto eſt unius cum altero labor impeditior. Hæc tametſi non dubitem intellexiſſe etiam Philoſophos veteres, non tamen ſatisfactum eſt ipſorum doctrinæ per diſtinctionem animalium in ſpecies duas, hominum & brutorum. *Pomp.* Ergo in logomachiam abit omnis hæc philoſophica diſceptatio. *Mod.* Credo, & inter literatos, JCtos etiam, Judices, multoſque litigantes, diſputari multa experimur,

rimur, qui, ſi alter alterius mentem recte perciperet, opera tanta non indigerent. *Pomp.* Interim in Collegio alter alterius mores ferre debet, neque quisquam ſibi ſoli placere, aut præcellentiam affectare. *Mod.* Redeamus ad Cameralia. Verſiculus tertius agit de mutandis, quovis ſemeſtri ſpatio vel anno Senatibus. Quænam cauſa eſt ſeparationis hujus Aſſeſſorum? Et cur non perdurare poteſt conjunctio tempore longiore? Quare non diſſolvitur breviore, & poſt finitam quamcunque Relationem definitivam? Nihilne hic relictum Domini Judicis arbitrio & prudentiæ? *Pomp.* Declarabo tibi omnia paucis. Mutationis Aſſeſſorum in Senatibus, pro iſta, quæ tunc erat, multitudine, rationem fuiſſe puto primam & præcipuam, ut Domino Judici, qui ſingulis Senatibus nequidem ſæpius præſidere poterat, occaſio eſſet, virtutes & induſtriam Aſſeſſorum in variis negotiis obſervandi & indagandi: Ipſis etiam Aſſeſſoribus copia fieret ſeſe invicem in ipſo labore noſcendi. Alteram, ſed ſecundariam, ne ex conjunctione diuturna Aſſeſſorum in Senatu eodem naſceretur tanta familiaritas, ut in Sententiis quoque una omnium vel plurium ſemper eſſet amica opinio. Quod cum inter contingentia rariſſima ſit numerandum, ego rationem hanc Legislatorum exiſtimo fuiſſe ſecundariam. Prior vero in numero Aſſeſſorum & Senatuum pauciore, obtinebitur facilius, etiamſi Senatus non mutaren-

tarentur præter neceſſitatem. Multum ea in re Domini Judicis prudentiæ relictum eſſe, ipſa Textus noſtri verba & *Receſſ. Viſitat. §. 35.* indicant. Cui, ſi agnoverit per ſeparationem Aſſeſſorum impediri Relationum, cumprimis in materiis recurrentibus, curſum, proſpiciendum erit, quid magis expediat Reipublicæ noſtræ judiciariæ, & ſi quæ ſint cauſæ mutationem diſſuadentes, vel neceſſitatem requirentes. Impediuntur autem maxime negotia, quotiescunque ex aliis Senatibus accerſendi ſunt, qui antea in eadem materia vota dederunt. Otioſi enim ibi nunquam invenientur, & neceſſe erit alterutrum laborem abrumpere, poſtea non ſtatim & pro lubitu repetendum. Temporis rationem, ne tranſeat inutiliter, ſemper haberi oportet. Porro non parum facit ad officii hilaritatem & laborum maturationem, ſi, cum quibus in hoc mari navigandum ſit, ſcias, qui & te norint propius, tuque ad ipſorum methodum atque conſuetudinem in rebus peragendis accommodare ſis aſſuetus, illi viciſſim ad tuam. Quo diutius Aſſeſſores fuerunt in eodem Senatu conjuncti, tanto plura inter eosdem fuere tractata negotia. Difficilior itaque & non absque impedimento cauſarum recurrentium conjunctio & ſeparatio, cumprimis ſi fiat cum disjunctione ſingulorum. Unius anni ſpatio permultæ in uno quoque Senatu occurrunt cauſæ. Cogita, Modeſtine, ſi quovis anno mutatio Senatuum ſuſciperetur,

Digitized by Google

tur, quanta tandem exoritura ſit confuſio, quanta deliberationum impedimenta in materiis recurrentibus. Non capiunt hoc ſatis, qui Senatibus non interfuerunt ipſi. *Mod.* Verſiculus itaque quartus & quintus ulteriori explicatione opus non habent. Sextus ad ordinem referendi pertinet, cujus ego exercitium intueri vellem propius. Mente enim mea concipere non poſſum, qua ratione unus Aſſeſſorum cum aliis ſeptem vel ſex in Senatu conjunctus eſſe poſſit, & tamen, abſoluta Relatione qualibet ſua definitiva, ad alium Senatum interlocutoriarum recedere, mox ad priorem reverti debeat. Scenæ non abſimilis videtur iſta mutatio. *Pomp.* Non eſt mirum, ſi, pro Statu Collegii præſente, ordo iſte videatur obſcurus, & ipſo uſu difficilis. Praxin hujus textus memoriæ proditam non vidi, ex collatione vero Legum pateſcere exiſtimo (1.) Interlocutiones & Senatus interlocutoriarum ab iis, quæ alibi vocantur geringe *Submiſſiones*, ſive Beſcheid • Tiſch • Sachen / hic non differre. (2.) Reſpicere hujus Legis praxin non ſolum ad modum proceſſus articulatum, variosque Audientiarum ordines, quæ omnia legibus poſterioribus ſunt abolita, ſed etiam ad conſuetudinem Aſſeſſorum dictandi ad excipiendum calamo Relationes integras cum Actorum ſumma; ita ut, qui penſum diurnum abſolviſſet, (quod ſignificari puto verbis: Mit ſeiner Sachen gerecht) ad Senatum interlocutoriarum recederet, alio interim

interim à nova Relatione exordiente, vel in cœpta continuante. Hæc omnia ex annotationibus diſces, quæ editioni Wetzlarienſi Legum Cameralium ſunt adjectæ. Utere ea ubi nactus eris, & inſpice die Anmerckungen *pag. 5.* Confer etiam cum iis, quæ dixi, fontes, hoc eſt *Receſſum Viſitat. Anno 1577. 18. Maji §. 15.* & *Dubia Cameralia 21. Auguſti 1585.* Viſitatoribus propoſita *Artic. XXV.* quem cum aliis Domini Viſitatores prudentiæ Collegii reliquerunt, Anno 1586. *in Reſolutionibus, §. 7.* *Mod.* Gratiſſima eſt mihi hæc manuductio. *Verſiculus ſeptimus hujus tituli* de conjungendis Aſſeſſoribus junioribus cum veteranis, & *octavus* de paritate numeri, quam etiam declarat *Inſtrum. Pac. Artic. V. §. Ac proinde. 54.* cum *ſequenti §. Viſitatio. 56.* juncto *Receſſu Viſitat. Noviſſ. §. 34.* explicatione non indigent, & conſultum omnino erit, quod ſupra monebas, ut obſervetur hæc cautela, non ſolum ſi agatur de ſupplicationibus expediendis, ſed etiam ſi deliberetur de ſententia. *Verſiculus nonus* curam vult haberi, ut in decernendis proceſſibus æqualitas ſit ſtyli & exemplorum in cauſis ſimilibus, eumque in finem, exorto dubio, augeri numerum Senatorum hujus Senatus. *Pomp.* Diſcordia Senatuum in modo decernendi proceſſus, imo & decidendis cauſis, non poteſt non lædere exiſtimationem Judicii Supremi, in quo, ſi quilibet Aſſeſſorum ſuo ſenſu, vel totus Senatus peculiari ſtylo uti præſumeret,

ret, magna rerum exoriretur confuſio. Verum enim vero in allegandis rerum judicatarum, vel proceſſuum decretorum exemplis, ſive, ut ajunt, præjudiciis, ſæpiſſime fallit judicium Advocatorum & Procuratorum, cum difficilis ſit applicatio caſus ad caſum, niſi etiam reliqua omnia ſint paria. Dixi hac de re plura in convivio heſterno apud Mæcenatem. Neque opus eſt hodie in Senatu extrajudicialium tanto Aſſeſſorum numero. Crediderim Anno 1570. (eſt enim hic verſiculus deſumtus ex *Receſſu Imperii 1570. §. 78.*) paucos fuiſſe Aſſeſſores veteranos, plurimos novitios. Abſolvamus paucis verſiculos, qui ſuperſunt. Taxatio expenſarum fit hodie in Senatu ordinario extrajudicialium. Frequenter tamen expenſæ compenſantur, & tunc hoc labore non eſt opus. Fiſcalia negotia judicialia inter Aſſeſſores diſtribuere ſolet Dominus Judex, quæ horis ordinariis in Senatu expediuntur. Nam, quod extraordinarius Senatus juxta diſpoſitionem verſiculi XI. qui deſumtus eſt ex *Receſſu Deputat. Anno 1557. tit. 55.* repetito *in Receſſu Imperii 1654. tit. 93.* & *Viſitat. Noviſſ. §. 91.* à Dominis Judicibus nondum fuerit conſtitutus, cauſam fuiſſe puto defectum numeri ſufficientis Aſſeſſorum, quem majorem poſcunt multa in Ordinatione & ipſo Viſitationis Receſſu ſtatuta, ne per Senatus extraordinarios labores ordinarii impediantur. Et habenda eſt ratio eorum, quibus per ætatem & valetudinem corpus

eſt

Digitized by Google

eſt infirmum. *Mod.* Unum adhuc quærere libet. Cum diviſio Aſſeſſorum in plures Senatus, quorum quilibet judicat totius Collegii nomine, neque facta concluſione ab alio Senatu judicetur, à multitudine & cauſarum, & multo majore Aſſeſſorum numero, quam qui nunc eſt, derivetur; Videretur mihi ſatius, ut res judiciariæ, graviores ſaltem, deciderentur votis omnium, quam paucorum. Neque numerus XXV. hic foret nimius. Evitarentur hic Senatuum mutationes, adjunctiones, recuſationes aliaque, quæ in hoc numero exiſtere poſſunt, incommoda. *Pomp.* Per me liceret quidem, ſi ita voluerint Legislatores. Sed, dum vivimus legibus præſentibus, toti Cameralis Judicii Syſtemati aliam inducere formam, non eſt noſtrum. Deinde, ſi ea quæ commemoras, mutatâ formâ priſtinâ, nullo amplius forent impedimento, alia tamen eſſent experiunda impedimenta non leviora. Inter XXV. Aſſeſſores crederesne tu, omnes unius Referentis vocem, narrata, argumenta, ſatis percipere, ut non magis ex fide Referentis, vel aſſenſu honorifico, quam ex judicio proprio, de meritis cauſarum ſatis certo, dicere poſſint ſententiam. In numero Senatorum ſex, vel, ſi mavis, octo, perleguntur & auribus accipiuntur non ſolum documenta cauſarum, ſed etiam ipſa Acta judicialia cum compendio Referentis ſcripto comprehenſo & clara voce recitato, conferuntur. Hoc quomodo fieri poſſit in ma-

majore Senatorum numero, & ea, qua par eſt, cura atque attentione, ab omnibus ego experiri vellem. Pauci facilius & tempore breviore informantur, quam multi. Plures Senatus cauſas etiam plures tractare poſſunt & decidere. Tandem, ſi in numero judicantium magno nihilominus votorum & concluſionis vis redit ad paucos qui negotio tractando operam navant propius, ceteris tantum aſſentientibus; Hoc ipſum ſapienter prævidiſſe credo Legislatores, cum Syſtema Cameralis Judicii ita conſtituerent, ut Juſtitiæ adminiſtratio fieret per Senatus, in quibus Senatores ſinguli de meritis cauſarum, præeunte Referente & laborem allevante, informati, proprio judicio & conſcientia vota dicerent, ſecundum quæ auctoritate plena deciſio fieri deberet, ſalvo, ubi lex requirit, plurium Aſſeſſorum concurſu. *Mod.* Satisfactum eſt quæſtioni meæ. Verum in tanta cauſarum judicialium multitudine numerus Aſſeſſorum XXV. & ex his paucitas Senatuum non poterit non officere maturationi expeditionum, & excitare querelas litigantium de diuturnitate Proceſſuum Cameralium. *Pomp.* Ego vero hunc Aſſeſſorum numerum adminiſtrandæ Juſtitiæ in hoc Judicio Imperiali ſufficientem eſſe, & convenientem autumo, tum, quod numero multo majore negotia etiam impediantur: tum, quod modus procedendi judiciarius per leges poſteriores multo ſit brevior priſtino, ita ut ne dimidia quidem

parte

Digitized by Google

parte interlocutionum, quas vetus ordo requirebat, hodie ſit opus: tum vero, quod, ceſſante moratoria illa conſcriptione votorum ex voce Referentis in chartam, in ipſo modo referendi, quantum fert cauſarum natura, brevitati ſtudeant Aſſeſſores. Et, ſi de diuturnitate proceſſus queruntur nonnulli, ſcire debent, non ipſorum tantum gratia judicium eſſe conſtitutum: ſæpius impleri Acta & confundi inutilibus cauſidicorum ſcriptis, quibus ut perpetuo aliquis immoretur, patientia requiritur quovis ferro durior. Tandem, ſi comparentur deciſiones, quæ fiunt hodie annuo ſpatio, cum iis, quæ erant olim inter Aſſeſſores XLI. hodiernas credo ſuperaturas veteres numero ſententiarum definitivarum, ſæpius etiam pondere & elaborationis diligentia. Memineris, quæſo, eorum, quæ de litium duratione locutus ſum in converſatione prima. *Mod.* Nondum venit in oblivionem. Nunc ad *Tit. XV.* de negotiis Cameralibus, quæ ad *Plenum Senatum*, ſive univerſum Collegium pertinent, & extraordinariis, pervenimus. Hic vero omnia clare ordinata eſſe in tranſcurſu obſervavi, neque quidquam à præſenti ſtatu Collegii aliena. *Pomp.* Cum nihil magis publicæ rei officiat, quam ſi negotia, quæ ad univerſi corporis conſtitutionem & utilitatem pertinent, turbulente tractentur, deliberentur & concludantur: opus erat, ut curatius omnia ſtatuerentur, non ſolum hoc titulo, ſed etiam *in No-*

viſſima Lege Viſitat. in qua ad hunc titulum ſpectant *§§. 17. uſque 33.* incluſive, ſuo loco commemorandi. *Mod.* In principio & verſiculis tribus prioribus video confirmari, quæ paulo ante ad *tit. præced.* de differentia Collegii veſtri Imperialis ab aliis monueras, quod apud vos negotia in Pleno tractari non debeant, niſi quæ huic deliberationi ampliſſimæ ſunt reſervata expreſſe. *Pomp.* Erat hoc ad expediendas promte res judiciarias neceſſarium, quas impediri maxime per crebriores convocationes Senatorum omnium, eſt in propatulo. Temporis habenda erat ratio, quod, ſi in negotiis Pleni extrahendum eſſet, neceſſario decederet parti officii præcipuo, nempe adminiſtrationi Juſtitiæ inter litigantes. Proinde negotia pleni non poſſunt eſſe alia, quam ea, quæ ad media pertinent, ſine quibus finis primarius obtineri nequit. Ita generaliter concipies deliberationum pleni materiam, daß es die Nothdurfft zum höchſten erfordere. *Mod.* Quodſi vero horis Senatui ordinario deſtinatis expeditæ fuerint res judiciariæ, reliquum tempus, vel matutinum, vel poſtmeridianum, vel etiam feriarum, cultui divino non dicatarum, ad negotia pleni, quæ etiam non occurrunt quotidie, impendi poterit? *Pomp.* De tempore mox dicam ad *§. 4.* Tu interim, Modeſtine, ſcies, animum hominis vireſque corporis ea firmitate non eſſe, ut poſt labores aliquot horarum in Senatu, etiam ad arduas conſultationes in pleno ſuffi-

Digitized by Google

ſufficere poſſint. Cumprimis, ſi, ut eſt moris, facta propoſitione vota ſingulorum ſunt in ordine audienda, protocollo inſcribenda, relegenda, ubi non poteſt non fieri, ut, dum loquitur unus pro re nata interdum prolixius, reliquis omnibus patienter ſit auſcultandum. Poſtmeridiana vero conſilia raro eſſe matura, experientia docuit. Eſt etiam multorum, quibus rationes ſyſtematis noſtri non ſunt notæ, error maximus, ſi putant, Aſſeſſoris labores abſolvi horis Senatus, cum potius domeſtici ſint longe graviores, ad ea meditanda, elucubranda, præparanda, quæ cuilibet tempore Senatus ſunt proponenda faciendaque. *Mod.* Ergo in arbitrio Domini Judicis ſolius non erit convocare Senatores omnes tempore quolibet, & ad materias quaſcunque? *Pomp.* Ita ſane ſtatuitur in tituli principio: **Der Cammer-Richter ſolle nicht geſtatten / daß die Sachen im gantzen vollen Rath aller Beyſitzer zu berathſchlagen / es ſey dann / daß die Nothdurfft der Sachen zum höchſten erfordere / und daß ihn und die Beyſitzer / mit deren Rath er zu ermeſſen / ob / und was** ad Plenum **zu gelangen / oder nur mit Rath etlicher Beyſitzer zu verrichten ſey / ſolches gemeiniglich vor gut anſehe.** *Mod.* Duplex hic videtur ſignificari deliberatio cum Aſſeſſoribus, una præparatoria de materiis vel in pleno proponendis, vel per Deputatos peragendis, altera in conſultatione ipſa principali. *Pomp.* Sunt materiarum aliquæ,

quæ,

quæ, ſua natura & jubente lege, non aliter, quam in pleno, tractari poſſunt, aliquæ Deputatis antiquo more committi. De his nulla opus eſt deliberatione præparatoria, ſed de aliis in lege non expreſſis, & quæ naſcuntur, non præviſæ. Hoc declaratur *in Receſſu Viſitat. §. 21.* &, ne prolixius ſit conſilium, adſtringitur Dominus Judex, ut adhibeat cum Præſidibus Aſſeſſores quatuor, **mit Ermäßigung derer** Præſidenten, **und vier älteſten und erfahrenſten** Aſſeſſoren **zu überlegen.** *Mod.* Auctoritas Conſilii pleni juxta *§. 1. 2. 3. hujus tituli*, non eſt ab alio, quam Domino Judice, & cui is abſens vel impeditus omnem hanc poteſtatem commiſerit. *Pomp.* Recte, neque alius eam auctoritatem ſibi ſumet. *Mod.* Jam de tempore, quæ ſupra reſervaveras, dicenda, expecto. Si à prandio congregari non conſueviſtis, neceſſe eſt, ut fiat ante meridiem vel diebus feriatis. *Pomp.* Non aliter. Repetendum etiam *verſiculum 4. hujus tituli*, propter abuſus cenſuere Domini Viſitatores *in Receſſu §. 17.* Et hoc quidem tempus nullus defugiet, ſi modus ſit in rebus, hoc eſt, ſi frequentiam congregationis iſtius non amet Dominus Judex, vel qui ejus vice fungitur, totaque deliberatio ita præparetur, ut cum temporis compendio fieri poſſint, quæ ſunt peragenda. Hoc enim ſollicite caveri voluere Domini Viſitatores, injungendo Domino Judici *§. 18.* ut materias deliberandas mature denunciet. Id ſi factum

factum fuerit, unusquiſque ad diem conſtitutum, pro objecti gravitate, ſcripto comprehendere poterit votum & recitare, maxima cum utilitate temporis, totiusque deliberationis brevitate. Prætermiſsâ hac cautelâ, nulli poterit vitio verti, ſi, quod præparatus non ſit, à voto dicendo (niſi materia ſit levis & vulgaris) ſe excuſaverit. *Mod.* In levioribus itaque iſta denunciatione opus non erit? *Pomp.* Pro re nata, ne etiam, congregatione facta, inexpectatum aliquid majoris momenti immiſceatur. Sunt cuilibet hominum rationes agendi propriæ, ſunt etiam Directoribus Collegiorum. In Camerali Syſtemate quæ ſit poteſtas Directoris, quæ Senatorum, hi non neſciunt, &, ut permittatur iis ſuo Jure uti, remoto omni animi affectu & calliditate, cupiunt. Ea in re ſi fuerit Directoris ſtudium, multa facilius, & non invitis Aſſeſſoribus, perficientur. *Mod.* Non ergo licebit abeſſe Aſſeſſori in urbe præſenti, neque per valetudinem impedito ab iſtiusmodi negotiis pleni. Et ſi non interfuerit, concluſo tenebitur nihilominus? *Pomp.* Qui præſens in urbe, & de negotio certior factus, absque cauſa legitima vellet excuſari, non debite fungeretur officio. Neque huic licebit contradicere factis per præſentes majore numero, concluſis. *Mod.* Venimus ad materias in §. 5. conſultationi Collegii univerſi reſervatas, in quibus præcipuam eſſe agnoſco de Aſſeſſoribus recipiendis. *Pomp.* Sic eſt.

Digitized by Google

Proinde in Receſſu Viſitationis inter ſtatuta de Plenis comprehenduntur etiam ea *§. 22. 23. 24. 25. 26.* quæ ad perſonas Senatorum, modumque recipiendi, pertinent. De qua re cum egerimus in converſatione noſtra præcedente, nihil hic adjiciendum reſtat. De venia concedenda in Pleno dictum etiam fuit ſatis. ***Mod.*** Eſtne vero receptio Advocatorum & Procuratorum res tantæ deliberationis, ut propterea plenus Senatus ſit congregandus. ***Pomp.*** Multum intereſſe, ut deſideria partium à viris fide & ſcientia probatis in Judicio proponantur, tibi, Modeſtine, non eſt ignotum. Neceſſarium ergo, ut auctoritate Collegii Cameralis univerſi, Advocatorum & Procuratorum ordini adſcriberentur, qui in hoc Supremo Judicio poſtulare vellent. ***Mod.*** Ergo, qui veſtrates non ſunt Advocati, cauſarum defenſoribus eſſe non licet? ***Pomp.*** Procurator alius, quam qui eſt in numero, non admittitur: Advocati vero extranei non prohibentur. ***Mod.*** Quamobrem vero tanta apud vos ſollicitudo de Advocatis? ***Pomp.*** Quia ad Procuratorum ordinem non recipitur, niſi fuerit aliquamdiu in numero Advocatorum, ſuamque probatam dederit induſtriam. Eſt quidem officium Advocati dignius, quam Procuratoris, ſed in Imperiali Camera Advocatorum etiam digniſſimi Procuratorum munus ambiunt, ne in proponendis publice cauſis, quod non eſt Advocatorum, operâ alterius habeant opus. Plerique enim litigantium

Digitized by Google

tium uni cauſam ſuam concredere, quam duobus, malunt. *Mod.* Quid ergo, ſi domeſticis utantur Advocatis? *Pomp.* Hoc licebit. Antiquiori tempore tantus non erat in Regionibus Germaniæ, quantus eſt hodie, Advocatorum numerus. Qui præſtantem deſiderabat cauſæ defenſorem, Spirenſe adibat forum. Hodie Advocatorum numero laborat univerſa Germania. *Mod.* Eſtne apud vos numerus conſtitutus, quem excedere non licet. *Pomp.* Numerus Advocatorum, qui ſimul ſint Procuratores in *Ordinat. Cam. Anno 1555.* erat XXV. auctus deinde per *Receſſ. Imper. 1570. §. 62.* uſque ad XXX. vid. *in Codice noſtro tit. 30. princip.* Tametſi vero & Senatorum numerus XLI. & ratio tot Advocatorum, Procuratorumve, quæ erat cauſarum in Audientiis quotidianis perorandarum copia, hodie ceſſet, & Aſſeſſoribus XXV. pauciores etiam Procuratores ſatis negotii facere poſſint; Videmus tamen numerum antiquum hucuſque eſſe retentum, non cauſarum; ſed petentium, ut opinor, gratia. Advocatorum vero, qui Procuratores non ſunt, numerum non conſtituit Ordinatio. Neque tamen, ut ſit plane arbitrarius, ratio ſuadet, ne obruamur multitudine & vileſcat officium. Sunt enim, qui, Academicorum ſtudiorum curſu vix exacto, ſtatim albo Camerali ſe frui poſſe putant. *Mod.* Hi ergo ad album relati, ad Procuratorum ordinem etiam perveniunt?

Pomp. Eam certe in ſpem ingrediuntur plurimi, concepta non fruuntur omnes. Sunt tamen, qui doctrinæ & induſtriæ commendatione officia in Aulis Statuum Imperii vel urbibus obtinent. *Mod.* De his ergo in præſentiarum ſatis. Nominantur porro in *§. 5.* andere Gerichts-Perſonen; peto, ut, qui ſint, mihi exponas; nam Procuratorem Cæſareum, qui dicitur *Fiſcalis*, eique junctum *Advocatum* hic non intelligi puto, de quibus agit *tit. 27. 28. 29.* & *Advocatos & Procuratores* reliquos omnes ordine præcedunt, *Medicum* etiam Cameralem, de quo *tit. 53.* & *Quæſtorem tit. 54.* perſonis Judicii non accenſeo. *Pomp.* Non ſunt horum partes in Judicio: ſunt tamen perſonæ Collegio Camerali addictæ, & in Conſilio Pleni recipiendæ. Magis proprie hoc nomine veniunt, qui etiam in tabulis Pacis Oſnabrug. *Artic. V. §. 53.* appellantur *Juſtitiæ Miniſtri*, de quorum officiis *tit. 39. ſeqq.* agitur. Licet enim hi ab Imperii Archi-Cancellario ad officium deligantur, admittuntur tamen Concluſo Collegii univerſi, & obſtringuntur jurejurando Camerali. Oblitus fere eſſem duorum *Apparitorum* à Collegio aſſumendorum. *Mod.* Dehinc, literas vel Imperatoris vel Electorum, Principum & Statuum Imperii ad Collegium Camerale materiam eſſe pleni, in eodem verſiculo dicitur. *Pomp.* Quæ ad omnes exarantur, vel ad Collegii negotia ſpectant, licet forte ad ſolum Dominum Judicem

cem fuerint ſcriptæ, omnibus innoteſcere æquum eſt. Hinc *in Receſſu Viſitat. §. 8.* cavetur, ne iſtiusmodi literæ apud Directorem deliteſcant, vel pro ejus arbitrio tardius cum Collegio communicentur. Quantum etiam in rebus ad Juſtitiæ adminiſtrationem pertinentibus iis ſit tribuendum, diſtincte exprimitur. *Mod.* Publica quoque Imperii negotia, necnon ad Religionem attinentia, veſtræ conſultationi commiſſa eſſe hic legimus; Schwehre bedenckliche *Religions*-und andere wichtige Reichs-Sachen / und *publica negotia Imperii.* Hæc qua ratione per Deputatos tractari queant, informari vellem. *Pomp.* Conferendus eſt hic verſiculus quintus, cum fontibus in margine allegatis, præcipue *Receſſ. Viſitat. Anno 1575. §. 2. 1576. §. 10. 1577. §. 6.* Memini, aliquando dubium incidiſſe, an non eſſet error ſcripturæ, & legendum, pro Reichs-Sachen / Rechts-Sachen / ita ut in cauſis judiciariis graviſſimi momenti, ad plenum Senatum res deduci poſſet, & deberet. Vera tamen eſt lectio Reichs-Sachen / cum dictis *Receſſ. Viſitat.* congruens. Id quidem caret dubio, quod negotia Imperii publica ad Comitia Imperii ſpectent, neque Collegium, quod Juſtitiæ adminiſtrandæ gratia in Imperio eſt conſtitutum, iſtiusmodi conſultationibus ſeſe immiſcet: Cum tamen varii exoriri queant caſus in publicis negotiis, Syſtema Cameralis Judicii afficientes in effectu & ſequelis, non ſolum non prohibetur

Collegium, ſed etiam his ipſis legibus facultas ei datur deliberandi, qua ratione ad effectum deduci aliquid poſſit, ſalvâ Collegii integritate, ſuſtentatione, & Juſtitiæ curſu: Tum vero Cæſareæ Majeſtati & Imperii Statibus, ſi quid monendum, debita cum reverentia indicabitur. Deputatorum vero munus hic erit deliberationem Pleni præparare, & conſilio ſuo præliminari facilem reddere. *Mod.* Bene eſt. In *§.6.* de Legationibus agitur ab Imperii Statibus ad Camerale Collegium miſſis. Suntne ejus rei exempla? *Pomp.* Quidni? Cum enim Camerale Collegium Syſtema ſit auctoritatem ſummam Juris dicendi in Imperio habens, cui etiam per ipſas leges in hoc officio tributa ſit qualitas repræſentatitia *Tit. IX.* & *Receſſu Viſitat. Noviſſ. §.22.* Das Gericht überhaupt *repræſentirt* Kayſerliche Majeſtät und das Reich. Nihil ſane dignitati Statuum Imperii derogatur, ſi auguſtum hoc Collegium per miſſos ſuos digniores cum literis honoraverint. Pariter à Collegio noſtro miſſos ad Aulam Cæſaream, ad Cómitia & Aulas Procerum Imperii habitos fuiſſe honorificentiſſime, novimus. Legatum aliquando ab Electore Palatino, Carolo Ludovico, ferventibus controverſiis de Vicariatu, ad Collegium miſſum fuiſſe, memoriæ proditum eſt, qui tamen, exortis de ſolennibus nonnullis quæſtionibus, diſceſſerit, re infecta. *Mod.* Pergamus ad negotia expedienda per *Deputatos*, de quibus agitur *§§. 7.* uſque

uſque *13.* ex *Receſſ. Viſitat.* ſupra commemoratis deſumti. *Pomp.* Non prætereundus *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 31. 32. 33.* Deputationes iſtiusmodi ſunt variæ, ex quarum denominatione omnia cognoſces; modum vero ex jam dictis *§§. Viſitat.* Prima eſt, *ad cauſas Fiſcales*, de quibus agitur infra *Tit. XXVIII.* ibique eorum officium ſatis explicatur. Deputantur autem ad eum finem Aſſeſſores duo non à Judice ſolo, ſed à Collegio univerſo, *dict. tit. 28. princip. Receſſ. Imper. 1654. §. 93. Viſitat. §. 33. & 91.* reliqua dixi ad *Tit. XIV. §. 10.* Deputationes ceteræ per Dominum Judicem ordinantur, qui tamen minime errabit, ſi etiam ea in re uſus fuerit conſilio Præſidum & Aſſeſſorum. Eſt autem altera Deputatio *ad Rem nummariam ſeu ærarium Camerale*, & fundata eſt *in Ordinat. tit. 54.* qui agit de officio Quæſtoris *§. 12.* ubi officium Dominorum Deputatorum explicatur. Tertia ad cauſas *Tutelares* Perſonarum Cameralium; vide *Tit. XVI. §. ult.* Hæc negotia non per duos, ſed pro gravitate rei in congregato Senatu Deputatorum plurium vel pauciorum tractantur. Sunt etiam, Quartò, Deputati duo ad *Cauſas Politicas*, quibus incumbit monere, providere, &, re exigente, ad Dominum Judicem & Collegium referre, quæ in rebus politicis, quatenus ſcil. ad univerſi Collegii, vel etiam ſingulorum membrorum neceſſitatem, commoditatem vel damnum in urbe vergere poſſunt.

Quin-

Quintò, Deputati duo alii *ad rem Eleemoſinariam, ſive cauſam Pauperum*, non quorumcunque, ſed litigantium in Camera eorum, quorum paupertas eſt probata teſtimoniis, & præſtito jurejurando, cauſa etiam ad decernendos Proceſſus ſpeciem habuit juſti. Sextò, alii duo ad *officium Nunciorum*, vide *§. ult. hujus tituli.* Denique, Septimò, duo alii Deputati ad *examen & receptionem in Album Notariorum. Mod.* Nulline ergo Notario fides habetur, niſi qui in Album Camerale ſit relatus? *Pomp.* Album hoc, quod Matricula dicitur, nihil derogat fidei officii Notarialis, ſed eſt teſtimonium ſcientiæ majus, quam datum fuit à Comite Palatino, poſteaquam munera Comitum Palatinorum facta ſunt admodum frequentia, quibusdam etiam pars eximia hæreditatis paternæ. Quemadmodum igitur in qualitate & dignitate Comitum Palatinorum non hæreditaria eſt differentia exiſtimationis magna; ita non minor inter Notarium & Notarium, vid. *Receſſ. Viſitat. Anno 1560. §. 13. Mod.* Audiſſe me memini, Reviſiones in Camera per Notarium Judicio Imperiali non obſtrictum interponi, eumque largiſſima poſtulare honoraria. Non ergo utilis erit Matricula Cameralis ei, qui in iſto negotio occupari velit? *Pomp.* Ita quidem nonnulli crediderunt: Lege vero non eſt prohibitus Notarius in Album relatus, quia hic non eſt obligatus Judicio, veluti Procurator, ſed agit tanquam Notarius privatus.

Aliud

Aliud enim eſt approbatio perſonæ Notarii, aliud ejusdem obligatio. *Mod.* Eſtne ergo certus aliquis Notarius ad negotia Reviſionum? *Pomp.* Minime, ſed liberum eſt cuique, neque res difficilis iter Moguntiam verſus facere, ibique, præſtitis ſportulis conſuetis, documentum interpoſitæ Reviſionis impetrare. Quæ vero in Judicio Camerali per Notarium Reviſionis viva voce proponuntur, hæc facit is ex præſcripto Advocati cauſæ. Procuratoris vice fungitur Notarius mandato inſtructus, ſed tamen non Procuratoris ordinarii Cameræ. Non cognoſcit Collegium Camerale de meritis Reviſionum, quarum fatalia & ſolennia Lege ſunt reſtricta, absque ulla data ſpe prorogationis, imo ſub pœna deſertionis, *Receſſ. Imper. 1654. §. 125.* *Mod.* Non ſunt ergo perſonæ Camerales Notarii immatriculati, vel qui Reviſionibus dant operam, & à Jurisdictione civica immunes? *Pomp.* Non ſunt, & carere iſtis hominibus poſſet Collegium. Omnis perſona Cameralis juramento Camerali etiam eſt obſtricta. *Mod.* Putabam ego, omnes referri ad claſſem perſonarum Cameralium, qui etiam ſollicitandarum cauſarum gratia ibi verſantur. *Pomp.* Hæc eſt acceptio latior, de qua nobis ſermo non eſt, neque etiam cuique licet cauſas ſollicitare, & hoc prætextu Jurisdictione Camerali frui. *Mod.* Notatu digna eſt mihi hæc digreſſiuncula. Intelligo etiam materias, quæ vocantur cauſæ extraordinariæ, per Deputatos

tractandas. In ſequentibus verſiculis hujus tituli modus deliberandi in Pleno præſcribitur, & primo quidem loco *§. 14.* de propoſitione Domini Judicis vel Vicarii clare & ordinate facienda. *Pomp.* Rectiſſime obſervas verba: **Wohl / deutlich und ordentlich** *proponiren /* quod cum absque dubio melius fiat ex ſcripto, quam ex memoria (non enim omnes pollent facultate orationis clara & bene ordinata) expedire videtur, ut gravioribus deliberationibus propoſitione ſcripta præeatur. *Mod.* Quæ in *§. 15.* de ſcamnis Aſſeſſorum, & de præferendo conſilio veteranorum leguntur, non ſatis capio. *Pomp.* In permagno Aſſeſſorum numero non poterant omnes, quod hodie fit, menſæ oblongæ aſſidere, ſed in ſcamnis parietibus affixis circumcirca ſediſſe, eſt credibile. Quod hodie etiam fit in Audientia publica, ſed numero Aſſeſſorum minore. Ordinem Aſſeſſorum inter ſe ex prioribus meis ſermonibus intellexiſti. Ratio vero ſuadet, ut in negotiis pleni veteranorum experientia præferri debeat conſiliis juniorum, priusquam hi rerum tractandarum acquiſiverint uſum. Qui etiam, ſi ordo votorum ipſos tangeret primo loco, prudenter ſuſpendent votum, donec audierint ſeniores. *Mod.* Ad *verſic. 16.* recordor quæ monueras ſupra *Tit. XI.* ad *§. 15.* Ceterum brevitatem video commendatam eſſe in votis. *Pomp.* Intelligendus eſt locus pro materiæ dignitate. In levioribus verbo: *Placet,*

cet, defungi licebit. Non eſt autem vetitum in gravioribus conſenſum explicare etiam verbis pluribus. Et ſciunt Domini Aſſeſſores ea in re tenere modum, ne videatur aliquis ſenſu ſuo abundare velle, auſcultantibus eſſe moleſtus. Brevitas votorum eam ob cauſam eſt præcepta, ne operâ dictandi & excipiendi; temporis fieret jactura. Si ergo quilibet ex ſcripto votum legit, atque ad Protocollum tradit; (id quod fieri poteſt, ſi materiarum deliberandarum communicatio facta fuit) parum temporis abſumunt deliberationes. Domini Judicis vero eſt, ex perſpectis votis & collatis facere concluſum, vel materiam ulteriori deliberationi ſubjicere. Magnum enim ingenium requiritur, feliciſſima etiam memoria, ad apprehendenda multorum vota, & probe diſcernenda, in rebus arduis cumprimis & votorum diſſimilitudine. *Mod.* Quid vero obſtat, ne vota in materiis Pleni dari poſſint etiam ab iis, qui, v. gr. per valetudinem à frequentatione ſunt impediti? *Pomp.* Prohibitum hoc eſt *§. 17. hujus tituli*, & crediderim; non eſſe rationem unicam in textu expreſſam, ut ſcil. audiantur etiam à quolibet vota Dominorum reliquorum; ſed etiam, ne res ad exemplum traheretur, & negotiis per abſentes mora inferri poſſit. Eſt igitur hic regula, quod abſentium non habeatur ratio, neque tamen his, ut dixi ſupra, Concluſum Pleni liceat impugnare. *Mod.* Ex Relationibus Comitialibus didici, eſſe nego-

tia, in quibus requiratur conſenſus ſingulorum. *Pomp.* Sunt etiam in Camera, ſi forte agatur de erogandis pecuniis. Incivile enim foret, abſentem non auditum obſtringere ad ſolvendum vel remittendum de ſuo, quod ipſe non voluit. Verbo: Ubicunque agitur de commodo vel damno ſingulorum. *Mod.* In *verſiculis 18. & 19.* legimus, quod conſultationi in Pleno adeſſe debeat Protonotarius, & in quibusdam negotiis Præfectus Cancellariæ. *Pomp.* Ut annotentur & vota & concluſum; neceſſarium omnino fuit. Extant etiam Protocolla peculiaria deliberationum Pleni, de quibus agitur *§. 20.* Literæ quando exarandæ Collegii nomine, hæc opera ſæpius demandatur Præfecto Cancellariæ, qui eum in finem juxta hunc verſiculum, ſi opus eſt, ad auſcultandum vocatur. Quandoque ejus eſt naturæ negotium, ut non ab aliis, quam ipſis Aſſeſſoribus literæ perfici queant. Ea vero eſt vis Concluſorum Pleni, ut nequidem Domino Judici integrum ſit, ea reſcindere, vel quovis modo immutare, ſed potius injungatur ei *§. 2.* executio, junge *Receſſ. Viſitat. §. 30.* *Mod.* De modo faciendi concluſum nihil lego in hoc titulo ſtatutum, neque in Receſſu Viſitationis, ubi quidem video ſtatuta *§. 19.* de propoſitione à Domino Judice vel Directore facienda, de requirendis votis, de obſervanda brevitate juxta *§. 72.* de libertate votorum pleniſſima *§. 20.* de Protocollis Pleni accurate formandis *§. 27. & 28.*

de

de adhibendo Protonotario *§. 29.* de exequendo Concluſo *§. 30.* Sed de ordine votorum & numero ex te, Domine, auditurum me ſpero plura. *Pomp.* Principio notabis, quod Dominus Judex vel Director Pleni ſedeat in ſolio uno gradu elevatiori, & ad ejus latera Domini Præſides. Ex his ſi aliquis plenum dirigat abſente Judice, occupabit ſolium, Aſſeſſores vero accumbunt menſæ oblongæ verſus ſolium poſitæ. In dextro latere menſæ ſedent Aſſeſſores præſentati ab Electoribus Eccleſiaſticis: in ſiniſtro reliqui in ordine conſueto circum menſam, ita ut Circulares Saxonici attingant ultimum Electoralium Eccleſiaſticorum. Initium votorum fit à latere ſiniſtro, & pergitur in ordine, ita ut, qui prærogativam loci habent, dicant votum ultimum, h. e. Aſſeſſores ab Electoribus Eccleſiaſticis præſentati, & tandem Præſes Senior, ſi adeſt. Rationem ordinis hujus votorum fruſtra ex me quæres, quia alia dari non poteſt, quam quod ita ſit moris. *Mod.* Hoc quidem mihi ſufficere poteſt de votorum ordine, ſcire tamen vellem, an Dominus Judex ſuum non addat votum? *Pomp.* In Imperiali Camera conſuetum non eſt, ut Directoris Conſilii aliud ſit munus, quam proponendi, & ſecundum vota Præſidum & Aſſeſſorum concludendi. In *judiciariis negotiis* non habet locum neque Domini Judicis, neque ullius Præſidis votum. Deciſio enim cauſarum eſt muneris Aſſeſſorii. In *negotiis Pleni*,

ni, ſi per vota Præſidum & Aſſeſſorum unanimia vel majora fieri poteſt Concluſum, faciet hoc Dominus Judex vel Director. Quodſi votorum magna exiſteret diſparitas, operam dabit conciliationi. Rari forent caſus materiarum Pleni, in quibus, ut Dominus Judex acceſſione voti ſui pondus concluſo addat, ſit neceſſarium. Abſolvimus ergo *Tit. XV.* nam, quod *§. ult. 22.* de receptione Nunciorum legitur, ad deputationes pertinere video, de quibus ſupra diximus. Progrediamur ad *Tit. XVI.* Continentur hic
T. XVI. præcepta ad Dominum Judicem peculiaria cum titulis proxime præcedentibus connexa. *Principio* & *§. 1.* de Libello Memoriali negotiorum extraordinariorum, de quibus *tit. 15.* Tum vero *§. 2.* de alio Libello Memoriali rerum judicialium non abſolutarum. *Verſiculo 3. & 4.* de Indice Privilegiorum Statuum Imperii. *Mod.* Multum ergo curæ erit Domino Judici in conficiendis vel curandis iſtis libellis. *Pomp.* Potiorem exiſtimo fore reminiſcentiam, quam laborem deſignationis. Primus enim memorialis libellus verbis breviſſimis memoriæ juvandæ gratia abſolvi poteſt cum relatione ad protocollum. Altero hodie non indiget Judex, quia cauſarum cœptarum & ſuſpenſarum ſunt pauciores quam olim, & ipſe Referens monitionem non eſt neglecturus. Tertio multo minus eſt opus, quia Privilegia non amplius inter res arcanas numerantur, ſed jam dudum ſunt publicata, & conjunctim edita,

Digitized by Google

edita, non ſolum in compendio, ſed etiam integro tenore. Utile autem fuit, ut ad omnium notitiam pervenirent. *Mod.* Majoris momenti videtur eſſe *verſiculus 5.* qui agit de diſſentientibus JCtorum ſententiis; de obſervanda æquali in Camera Imperiali deciſione, & colligendo libro præjudiciorum. Eſtne apud vos talis liber? *Pomp.* Librum talem, vel annotationes me vidiſſe unquam, vel quod extiterit, audiſſe non memini. Crediderim tunc temporis, cum de hac lege ferenda deliberaretur, multum negotii ex diſſenſu JCtorum fuiſſe exortum. Equidem concedo, quod laudi non ſit Supremo Imperii Judicio, ſi contrarias in cauſis ſimilibus faciat pro arbitrio deciſiones; quod etiam cavere jubet *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 84.* Si vero conſideretur, rariſſimos eſſe caſus in circumſtantiis omnibus æquales, facile eſt intellectu, quod ex Sententiarum verbis non colligendum ſit ad æqualitatem rationum decidendi. Hoc facere ſolent divinatores, & præjudiciorum ſtudioſi, ſæpiſſime graviter errantes. Datis vero circumſtantiis per omnia paribus, res deducetur ad deliberationem Conſilii pleni, ad evitandum Sententiarum in Senatibus diſſenſum. *Mod.* Hæc, quæ diſſeruiſti, tanto majorem habent veriſimilitudinem, quod in ſequentibus *verſiculis 6. 7. 8.* propalatio arcanorum Judicii ſollicite caveatur: per ea vero videntur mihi intelligendæ vota Senatus univerſi. *Pomp.* Etiam ſententiarum antequam ſint publi-

publicatæ, negotiorum, quæ ſunt deliberationi ſubjectæ, vel, ut ajunt, ſub malleo, perſonarum etiam, quibus cauſæ alicujus elaboratio, tractatio & deciſio eſt commiſſa, non eſt permiſſa curioſa indagatio. *Mod.* Et tamen in Judiciis aliis, non Germaniæ modo, ſed & Galliæ, puto etiam ceterorum regnorum, hæc omnia inter arcana non referuntur, cum nihilo ſecius accuratæ Juſtitiæ adminiſtrationis celebritatem habeant. Memini probe quæ hac de re in principio Colloquii hodierni dicta fuere. Hoc autem loco alia in mentem venit quæſtio: Quod ajebas, inter arcana referri apud vos, ſi cauſæ alicujus relatio ſit in motu, putarem utilius fore, ut ſcirent hoc litigantes, tanto magis enim caveri poterit, ne, pendente relatione, quidquam novi immiſceatur. Præſcriptione publica indicatur alibi, quod *referantur Acta.* *Pomp.* Sunt ſcilicet regionum & judiciorum mores non ubique iidem. Differentia vero magna, ſicut hominum, ita ingenii, ſtudiorum, & voluntatis. Si quis notitiam aliquam rerum judicialium forte nactus, ea abuti ſuſceperit, hoc in nullo uſpiam Judicio toleratum iri credo. Porro, ſunt aliqua inter arcana habita olim v. gr. Receſſus Viſitationum, quos noſtro tempore typis vulgari ſatius eſſe creditum fuit. Rationes decidendi ut edant Judices inferiores ſuperiori, præceptis compelluntur, quia ſubjacent correctioni. Superior vero Judex non corrigitur, neque cauſas ſententiæ

Digitized by Google

tentiæ ſuæ edere ſolet. *Mod.* Nimirum ut veterum Philoſophorum aliqui dixere: De actis Deorum credendum eſſe plus, quam pernoſcendum. Recordor ego, auctorem aliquem (oblitus ſum nominis) ad proceſſuum judicialium maturationem & deciſionis certitudinem, methodum talem in medium protuliſſe: ut Facti Species ex Actis per Referentem elaborata, utrique parti perlegenda traderetur cum rationibus potiſſimis ad quas in deciſione reſpiciendum foret, ut ſi quid monendum occurreret, liberum eſſet facere paucis. *Pomp.* Si moris eſſet hæc methodus, ego paterer. In Judiciis Epiſcopalibus Officialium aliquoties factum id eſſe obſervavi. Optima eſt decidendi ratio, ſi facti circumſtantiæ exhauriantur accurate. In theſi Juris enim errores facilius caventur. *Mod.* In Gailii, & Mynſingeri, Obſervationibus; in hujus Reſponſis; in Deciſionibus Meichſneri rationes decidendi cauſarum Judicii Cameralis reperiri, olim in condiſcipulatu noſtro ex Profeſſoris ore audivimus. *Pomp.* Verum eſt, & iſti quidem fiduciâ doctrinæ & induſtriæ Deciſiones & Obſervationes conſcriptas edi curarunt. Eſt modus non ſolum in tempore, eſt etiam in materiis. Dantur cauſarum aliquæ, in quibus ob rationes deciſionis ignotas, poſt ſententiam plus negotii naſcitur Senatui, quam ſi de iis partes factæ eſſent certiores. Deinde non eſt omnium cura tanta, neque in officio neceſſaria, ut

Mm ad

ad uſum etiam publicum labores elucubrare velint. Si quis ea ſit & ſedulitate & corpore firmo, ut privatis ſtudiis Jurisprudentiam forenſem illuſtrandam ſuſceperit & augendam, laude potius quam invidia dignum fore putarem. *Mod.* De Reviſionibus quod dicitur in *§. 7.* ad eam tempeſtatem pertinere puto, in qua Reviſiones effectum habebant ſuſpenſivum. *Pomp.* Codex noſter compoſitus fuit Anno 1613. Per *Receſſ. Imper. Anno 1654.* vero effectus ſuſpenſivus Reviſionis interpoſitæ eſt ſublatus. Hinc frequentatur quidem Reviſionis interpoſitio & introductio, ſed de proſequendo remedio nulla deinde eſt anxietas. Et utuntur eo victi, vel, ut adverſarium cautionis præſtatione vexent, interim vero executionem ſuſpendant: vel, ubi abſolutô ab actione Reô cautione opus non eſt, ut teſtimonium extet qualecunque, ſententiam, licet juſtiſſimam, ſibi non placuiſſe, & ut videantur aliquid contra feciſſe. Nihil ergo periculi à Reviſionibus metuunt, qui Juſtitiæ cauſæ & ſententiæ ſunt confiſi. *Mod.* Obſcurus eſt *§. 9. hujus tituli*, cujus neque rationem capio, neque verborum: **Aus bewegenden Urſachen /** ſtructuram. *Pomp.* Verba hæc *ex Memoriali Viſitationis 1577. §. 8.* errore typographico huc ſunt transpoſita, cum deberent poni in fine, vid. *Corp. Jur. Cam. Edit. Francof. Num. 109. §. 8.* Cauſa vero eſt absque dubio hæc, ut de honorario nondum præſtito hæredes Advocatorum & Procura-

curatorum Cameralium poſſint eſſe ſecuri aliquo modo, retinendo interim Acta, quæ ſunt in manibus. *Mod.* De tutelis Perſonarum Cameralium ſupra fuit mentio facta, & *§. ult. hujus tituli* anticipatus. Sequitur *Tit. XVII.* ſecundum quem Domino Judici *T.XVII* incumbit onus præſidendi quotidie in Audientia publica. *Pomp.* Notabis hic ante omnia, quod Audientiæ, quæ olim erant quotidianæ, hodie ſint in unaquaque ſeptimana non niſi diebus tribus: *Lunæ, Mercurii, Veneris.* Deinde, conſtitutâ mutatione compendiosâ Ordinum & Receſſuum, abſolvantur tempore horarum duarum, ſæpius breviore. Porro Dominum Judicem, niſi velit ipſe præſidere, ab Audientia eſſe excuſatum. Dominos Præſides vero, ad quos monitum pertinet *in Receſſ. Viſitat. 1713. §. 55. & 85.* hoc munere ordinario, exceptis diebus publicandarum majoris momenti Sententiarum, Aſſeſſoribus reliquiſſe per annos aliquot, nunc vero alternis vicibus eo fungi, adſidente uno ex Senatibus quem tangit ordo. Ergo, quæ hoc titulo ad officium Domini Judicis referuntur, etiam Præſidi Audientiæ præſidenti, vel Aſſeſſori, dicta ſunt. Tanto brevior ergo eſt *Titulus XXVI.* qui de officio Aſſeſſorum in Audientia agit, & cum *XVII.* poteſt conjungi. Pauca autem hic ſunt monenda poſt commemoratam ſæpius mutationem Ordinum & Receſſuum modum. Utinam vero Procuratores Legis Viſitationis *§. 56.*

bene eſſent memores! Multi enim perorant Receſſus, ac ſi in muſeo ſibi ſolis, non in Audientia publica legerent. Quæ in *§. 1. & 2.* leguntur de Decretis viva voce per Dominum Judicem ferendis, (exceptô caſu unicô *Citationis ad reaſſumendum* in *Receſſu Viſitat. §. 58.* limitatô) non fiunt hodie per eum, qui Audientiæ præeſt, ſed, causâ cognitâ, per modum Sententiæ. Audientiæ ſecundariæ coram Deputatis, de quibus *tit. 26. §. 1.* & *part. 3. tit. 9.* ceu ſupervacuæ, ſunt ſublatæ *Decreto generali 13. Auguſti 1666.* *Mod.* Iſtas Audientias ſecundarias coram Deputatis ad imitationem veteris moris judiciarii Romanorum inſtitutas fuiſſe crediderim. Prætor enim alia Decreta ferebat pro tribunali, alia de plano. Planum opponebatur tribunali gradibus aliquot elevato, & in plano dabantur decreta levioris momenti; id quod eleganter declaravit Gerhardus Noodt, JCtus Belga, *in Opuſculo de Juriſdict. & Imperio lib. 1. cap. 10.* Eſt ad manus liber, quem evolvamus, ſi placet. *Pomp.* Plura credo à Romanis deſumta ſunt in externa forma Judicii. Magna enim veneratio fuit Juris Romani inſtituti Judicii Cameralis tempore. Quod legis *§. 3. & 5.* Von unnöthigen Rechts-Säzen / hoc quomodo olim, Actis nondum cognitis, ad praxin deduci potuerit, ego ignoro. Hodie in Relatione Actorum, ſi modum exceſſerunt Procuratores, animadvertitur. A tumultu, rixis, injuriis, ma-

manuum collationibus in *§. 4. & 6.* prohibitis, hodierni temporis modeſtia abſtinere docet in Audientia publica. Receſſus viva voce prælegunter, non dictantur ut olim, quo ſpectant *§. 4. & 9.* Si quid ex tempore reſpondendum eſt, permittitur dictari verbis brevibus, alias enim experientur Procuratores monitum *verſiculi quinti.* Reliqua de officio Procuratorum in Audientia legenda tibi erunt ex *Tit. XXXV.* & *Decretis generalibus 13. Decembris 1659. 9. & 12. Januarii 1660. 25. Martii 1693. 16. Julii 1723.*
Mod. Paucis hic peto informationem de iis, qui præter Judicem & Aſſeſſores Audientiæ intereſſe debent. Abſque dubio erit aliquis Actuarius vel Secretarius Judicii. ***Pomp.*** Dicam tibi breviter. Secretariorum nomen hodie non eſt in Judicio Camerali, ſed ***Notariorum***, qui inter ſe diſtinguuntur ordine, ut alii ſint Protonotarii, alii ſimpliciter ita dicti. Hi rurſus diſtinctas habent functiones. Alii enim Supplicas colligunt, libro rerum exhibitarum inſcribunt, ad Senatum deferunt: Alii in ipſo Senatu, cauſarum, de quibus deliberatur, rubricas, & vota Aſſeſſorum ad Protocollum referunt. Protonotarii ſunt tres, qui expeditionum in Cancellaria curam gerunt, unus ex iis ad negotia Pleni, Protocollo inſerenda, adhibetur. Omnibus vero præeſt Cancellariæ Præfectus. Archivariorum officium eſt idem, quod apud nos dicitur ***Lectorum.*** De ſingulis agitur in *Titulis XXXIX.* uſ-

 que

que *XLIII.* incluſive. Quos tu intelliges facile, ſi reliqua, quæ in Colloquiis noſtris dicta ſunt, tenueris. De Audientia vero ſciendum eſt, quod adeſſe debeant, & menſam peculiarem occupare, unus ex quolibet ordine Protonotariorum, Notariorum & Lectorum unus. Ad hos deſignationes Receſſuum deferuntur, quos Procuratores in Audientia recitant. Adhibendus eſt hic liber Decretorum Collegii generalium, vulgo der Gemeinen Beſcheide / ubi leges præcipue illud, quod publicatum fuit *Anno 1659. 13. Decembris.* *Mod.* Placet perluſtratio. Video hic *§. 4.* circa finem, Protonotariis & Notariis facultatem tributam, petitiones Procuratorum dilatorias, absque cauſa juſta & probata factas, rejiciendi. Eſtne hæc Judicii Cameralis praxis, vel potius Senatorum officium? *Pomp.* Curioſe ſatis quæris. Tametſi vero ad Proceſſus formam magis pertineat quæſtio tua, de qua materia agendi neque locus eſt hic neque tempus; Reſpondebo tamen breviter. Mentem conſiliumque præcipuum fuiſſe conditoribus prædicti Decreti generalis, poſt *Receſſ. Imper. Anno 1654.* ut maturarentur cauſarum deciſiones. Quæ, ſi per Imperii Statum publicum impedirentur, quod factum eſſe ipſa rerum teſtimonia loquuntur, numero Aſſeſſorum præſtantium ſufficiente non ſuſtentato, mora hæc Collegio Camerali imputari non poteſt. Nunc vero dilationum petitiones, ex ſola Procuratoris cau-

tela

tela provenientes, *eigenwillige* Prorogation *bitten /* fiunt quidem ſæpius contra legem, ſed tamen deciſio maturari non poteſt, & plus moræ eſt ab ipſo Judicii ſtatu, quam à prorogationibus partium. Notariorum vero officium ad dijudicandas iſtiusmodi petitiones non extenditur, non magis quam ad vota Aſſeſſorum auſcultanda annotanda, & formandas Sententias, juxta *tit. 41. §. 2. 3. 4.* Qua de re alio tempore confabulabimur. Nullus ex perſonis Cancellariæ auſurus eſt, Receſſum aliquem expungere arbitrio proprio, ſed relinquenda eſt hæc res Judicio Senatorum. *Mod.* Quæ *Tit. XVIII.* de Vicario Domini Judicis conſtituta ſunt, in præcedentibus Colloquiis expoſita fuiſſe recordor, adeoque abſolutam eſſe materiam de officio Domini Judicis. Cum magna cupiditate jam expectabo explicationem de officiis Dominorum Aſſeſſorum. *Pomp.* De his, ſi bene meminiſti, multa ſunt anticipata. Non poteſt enim agi de officio Domini Judicis, niſi etiam commemoretur officium Aſſeſſorum. Et, quæ dicta ſunt, repetere non erit opus ad *Tit. XIX.* & ſequentes. Vidi enim te in pugillaribus annotaſſe omnia. *Mod.* Feci quidem, ſed verbis breviſſimis, quæ, cum mihi ſint repetenda, componenda & dilatanda, peto, ut diſceſſum tuum differre velis, & auxilio mihi eſſe, ſi memoria me fefellerit. *Pomp.* Faciam tui gratia, & craſtino die, quæ reliqua ſunt, abſolvemus.

Tit. XVIII.

COLLO-

COLLOQUIUM OCTAVUM.

Modeſtinus : Pomponius.

MOd. Ab heſterna converſatione operam dedi ut omnia, hucuſque paucis verbis notata, ordine conſcriberem. Venio nunc, Domine, ut ad titulos ſequentes, de officio Aſſeſſorum, tua fruar explanatione. Ante omnia ſciſcitari libet, quod jamdudum facere conſtitueram, cauſam *tituli Aſſeſſorii*, qui veteris formæ Judiciorum Romanorum ſapit reliquias. Niſi fallor, deſcriptio Judicii Romani, quam habet Gerh. Noodt in monſtrato tibi heri *Opuſculo de Juriſdict. & Imperio lib. 1. cap. 11.* convenit cum Germanico Camerali. Ad indolem Reipublicæ noſtræ aptior foret titulus Conſiliariorum Imperatoris & Imperii. *Pomp.* Quod in forma Judicii Cameralis reperiantur aliqua à Romanis deſumta, facile tecum conſentio. Succeſſu temporis ad meliorem redacta ſunt multa. De titulo *Aſſeſſorum* non erimus ſolliciti. Dignitas enim non eſt à nomine, ſed ab auctoritate legibus tributa, quæ eſt longe excellentior, quam Aſſeſſorum apud Romanos. Hinc dicuntur Aſſeſſores noſtri ſupra *Tit. XI.* juncto *Receſſ. Viſitat. Anno 1570. §. 1. Senatores in Senatu Imperii*, hoc eſt, Conſiliarii, dignitate non inferiore, quam ſunt in Conſilio

ſilio Imperiali Aulico, auctoritate vero judicandi multo eminentiore quam erant Aſſeſſores illi quorum conſilio utebantur Prætores Romani veteres, adde *Receſſ. Viſitat. Anno 1571. princ.* ubi tribuitur ipſis etiam nomen der Handhaber Kayſerlicher Juſtitien: In vornehmen Ehren- Aemtern und Würden ſtehende anſehnliche und Standes- Perſonen / *Receſſ. Viſitat. Anno 1570. §. 4.* & *Viſitat. 1713. §. 3.* Tales non erant Aſſeſſores veteres Romanorum. Sed ad rem. Principium *Tituli XIX.* cum formula Juramenti Aſſeſſorii, quæ hic allegatur & reperitur *Titulo LXXI.* juncto *Titulo LXXXV.* (evolvamus eos & conferamus) in pleriſque verbis congruit, ubi vides, Leges Imperii & Pacificationes Religionis cauſa initas omnibus & ſingulis pro norma præcipua eſſe tenendas, adde etiam *Inſtrum. Pac. Oſnabrug. Artic. XVII. §. 2.* & *Capitulat. Cæſar. Noviſſ. Artic. XXX.* Quod de ſtatutis & conſuetudinibus regionum dicitur, intelligendum eſt, ſi acceſſerit probatio, hoc innuunt verba: Die für ſie gebracht werden. *Mod.* Repetitum etiam hic video ex *Receſſu Imperii Spirenſi de Anno 1570. §. 75. ſeq.* ſenſum verborum de obſervando ſtylo judiciario, nach löblichem alten Gebrauch und Stylo unſers Kayſerlichen Cammer- Gerichts / wie die jederzeit auf ſie gebracht. Quæ tamen verba in formula Juramenti non extant. *Pomp.* Antiquior fuit formula Juramenti, quam Receſſus ille Imperii, & T. XIX.

cum ſtylus judiciarius mutari etiam poſſit in meliorem modum, non opus erat, ut jurejurando adſtringerentur Aſſeſſores ad ſtylum antiquum, quem interim ſequitur Judicium cum tali diſcrimine, ut ſtylus formularum ſerviat adminiſtrationi Juſtitiæ, non vero Juſtitia formulis, neque etiam omne, quod pro ſtylo venditatur, eo nomine accipi debet, niſi ita eſſe, ſit certum. *Mod.* Unam eandemque video eſſe formulam Juramenti Judicis, Præſidum, & Aſſeſſorum, cum tamen his ſolis munus dirimendarum cauſarum, ſive per extrajudicialia Decreta, ſive per Sententias, incumbat. Putarem itaque aliam formulam fuiſſe ſtatuendam ad Directorium magis quadrantem. Certe ad Dominum Judicem non poſſunt pertinere verba: **Dazu keine Sache / wie die genannt / auſſerhalb der** Fiſcaliſchen / **ſo er dazu verordnet ꝛc.** uſque **rathſchlagen.** *Pomp.* Qui in Camera Imperiali Judicis officium gerit, judicare dicitur ſenſu latiore, ita ut directione ſua eorum, qui proprie ſunt **die Urtheiler /** h. e. Senatorum, officia moveat, promoveat & obſervet. Adeoque eâdem Juramenti formulâ erat obſtringendus Judex vel Director, neque obſtare tibi debent verba allegata, quæ, licet officium Aſſeſſorium reſpiciant proprie, intelligi tamen poſſunt commode de Judice, tali modo, ut, quæ Aſſeſſores facere decet, fieri curet. *Mod.* Hoc quidem ſatis jam intelligo, ipſa tamen exceptio in verbis: **Auſſerhalb der** Fiſcaliſchen;

nihi

mihi nondum eſt perſpicua. *Pomp.* Meminiſſe debes ex Colloquio præcedente Deputatorum Aſſeſſorum ad cauſas Fiſcales. Iſtis ergo deputatis, conſilia dare Procuratori Fiſcali, non tantum licet, ſed etiam eſt injunctum *part. 1. tit. 28. princip.* *Mod.* De exhortatione quæ legitur *in §. 1.* cum parallelo *§. 8. Receſſ. Viſitat. 1713.* dixiſti in Colloquio Primo. Verſiculus ſecundus remittit nos ad præcedentem *Tit. VI.* In utroque loco expreſſa eſt conditio non præſtitæ poſt admonitionem emendationis. *Pomp.* Recte obſervas. *Mod.* Mirum vero videtur mihi, quod in *§. 3.* vetitum ſit, ne quis impediat labores ordinarios officii ſtudiis alienis. Quis vero audebit hoc facere in Senatu, domeſtica enim ſtudia prohibita non eſſe puto? *Pomp.* Si olim Aſſeſſores in nonnullis officii partibus neglexerint id quod erat ipſorum muneris, vel in decoro peccaverint, noſtra ætate hac admonitione opus non eſſe crediderim. Indecens enim valde foret, ſi quis, cum Relationibus & auribus & animo præſens eſſe deberet, iis neglectis, alia in Senatu agere vellet. Privatas lucubrationes prohibitas eſſe nemo exiſtimabit, niſi etiam interdicta eſſe velit ea, quibus officium ipſum confirmatur. Quemadmodum enim corpus nutritur alimentis; ita officium quodlibet ſtudiis privatis. Qui totis diebus & noctibus extrahendis Actis & Relationibus elaborandis operam navaret, nihil magis gratiæ vel laudis propterea eſt reportatu-

 rus,

Digitized by Google

rus, ſe ipſum vero perditurus. Et ſexcentas Relationes paratas ſi quis haberet, nequidem in Senatu expromere licebit. Defuncto Aſſeſſore, incertum eſt, an non omnis ejus labor Actorum recondatur in perpetuam, non memoriam, ſed oblivionem. Poteſt enim ſucceſſor eo uti, ſed ſi nolit, nulla lege obſtringitur. *Mod.* Commiſſiones Aulicas Cæſareas antehac etiam Aſſeſſoribus demandatas fuiſſe ex *verſiculo 4.* & *tit. 7. §. 1.* colligitur. *Pomp.* Nimirum, cum Judicium Camerale inſtitueretur, Judicium Imperiale Aulicum eam, quæ hodie eſt, formam per tabulas Pacis Weſtphalicæ confirmatam non habebat, plurimæque ad Imperatorem delatæ querelæ ad Camerale Judicium, velut ordinarium, remittebantur, quandoque nonnullis ex Aſſeſſorum numero commiſſio dabatur. Hæc vero, mutato rerum ſtatu, ceſſant. *Mod.* Sequentibus *verſiculis 5. 6. 7. & 8.* monita comprehenduntur pro evitanda omni ſuſpicione ſtudii erga partes litigantes. *Pomp.* Vir bonus & prudens ipſe cavebit, ne contra legem, *in Receſſ. Viſitat. §. 44.* repetitam, ulla oneretur ſuſpicione, neceſſitudinem ſuam cum alterutro litigantium, vel conſilia à ſe in aliqua cauſa præſtita reticendo, vel familiaritatem cum Procuratoribus, argwöhnliche Gemeinſchafft/ colendo. Non ſolent hodierni Aſſeſſores officii ſui & dignitatis adeo eſſe immemores. Hoc vero optandum, ne eſſent, qui male uterentur facultate

data

data in fine verſiculi quinti, & ſub hac ſpecie Domino Judici ſuſpicionem inſuſurrarent non fundatam. Prudentia hic opus eſt Domini Judicis, ut etiam meminerit moniti Viſitationis *§. 16. in fine.* Sæpius nocuere iſtiusmodi delationes, & in obtrectationes iverunt, unde animorum ægritudo, variarumque ſimultatum occaſio. De cognationibus & affinitatibus ulterius notandum tibi eſt, ***alias*** eſſe cum litigantibus ipſis, de quibus hic eſt ſermo, neque tamen de iis, quæ longinquo ſunt gradu: ***alias*** cum Procuratoribus & cauſarum defenſoribus. De his in Ordinatione nihil conſtitutum legitur. Nova vero ea de cauſa ſollicitudo nata eſt tempore noſtro, cum inter Aſſeſſores aliquos, qui obierunt dudum, eam ob rem quæſtio moveretur. Ad Dominos Viſitatores delata quæſtione, placuit iis, ut haberetur etiam ratio hujus conjunctionis, ſed cum moderamine, quod continetur in Articulis Relationi adjectis, vid. *Corp. Jur. Cam. Edit. Francof. in Appendice pag. 12. §. ult.* Hoc facto, alia obſervata fuit litigantium aſtutia vel potius malitia, ut, ſi forte credidiſſent aliquem ex Senatoribus id quod deſiderabant, non facturum, adſciſcerent ſibi Advocatum vel Procuratorem ei neceſſitudine aliqua conjunctum, ut, ſi hoc conſtitiſſet, ille à voto abſtineret. Cui abuſui remedium afferri oportuit, ut, qui interfuiſſet Relationi à principio, in poſterum eam ob cauſam non eſſet excludendus.

Mod. Eſtne cauſa recuſationis, ſi Aſſeſſorum aliquis ab eo, cujus agitur cauſa, fuiſſet ad officium præſentatus? *Pomp.* Tentata hæc recuſatio fuit aliquando, ſed Concluſo Pleni rejecta. Aſſeſſores enim, ipſum etiam Judicem, & Præſides, in ingreſſu officii ab omni alia obligatione munus Camerale ſufflaminante liberos eſſe voluit lex ipſa *part. 1. tit. 4. §. 10. tit. 7. §. 3.* & formula Juramenti *tit. 71. in fine.* *Mod.* Supra *Tit. XII. §. 8.* legimus de Domino Judice, quod à directione cauſarum, ad ipſum attinentium, abſtinere debeat. Ergo non licebit Judici, vel ejus Vicario, in iſtiusmodi cauſis Supplicationes vel Acta diſtribuere & Relationibus præſidere. *Pomp.* Non eſt permiſſum, & par erit ratio in cauſis ad eos pertinentibus, qui ipſi ſunt neceſſitudine propinqua conjuncti, vel ad Collegium, cujus ipſe foret membrum cum obligatione ſpeciali. Quodſi ejusmodi circumſtantiæ ſint ignotæ, non offendi debet, ſi à parte adverſa alteri Domino Præſidi indicentur. *Mod. Verſiculus nonus* ad pacem obſervandam pertinet & concordiam in Collegio, de qua in præcedentibus titulis ſæpius dictum fuit. *Sequentes 10. 11.* & *ultimus* tenacitatem ſecretorum rurſus inculcant. Heri ea de re ex verbis tuis notavi nonnulla, quibus an aliquid addere velis, expecto. *Pomp.* Nihil magnopere. In omni hac quæſtione prudentia debet eſſe actionum rectrix. Sunt aliqua, quorum notitia

in

in nullius hominis vergit damnum, poteſt vero multis eſſe utilis. Sunt alia, quæ patefieri non eſt conſultum. Temporum & rerum habenda eſt ratio & diſcretio. Famuli ut jurejurando obſtringantur, ii cumprimis, qui ſunt à manibus, cautela eſt, quam quisque negligere non ſolet. Major vero cura in eligendis hominibus. Felicitas, ſi inventi fuerint boni. In notitia referentium, ubi divinando aliquid aſſequitur Procurator, vel quisque alius, ſcientiam, ſi eſt ſapiens, non affectabit, alias enim ſentiet reprehenſionem ut diſcat eſſe cautior. *Mod. Titulum XX.* multum habere connexionis cum præcedente *titulo 12.* video. *Pomp.* Relationem utique inter ſe habent Actorum diſtributio & acceptatio. Proinde neceſſaria inter utrosque titulos affinitas; & poſtea, quæ ad *tit. 12.* expoſita fuere, ſermo hic erit brevior. Principium prohibet, ne aliquis Aſſeſſorum Acta referenda ſibi ſumat. Hoc quomodo factum fuerit olim, ego ignoro. Nullus eſt hodie, qui aliorum, quam quæ ipſi diſtributa ſunt per Directorium, Referens eſſe cupiat. Imo ſunt, qui de largiore diſtributione, quam quæ labore ſuperari poſſit, conquerantur. Quando ergo juxta *tit. 12. §. 10.* modus in diſtribuendis Actis adhibebitur à Directorio, tunc etiam accuratior poterit eſſe obſervatio monitorum in *§. 1. & 4.* de aſſervandis domi Actis. A famulitio vero Aſſeſſorum, de quibus *§. 2.* parum eſt periculi, cum unusquis- *T. XX.*

quisque non adſciſcat ſibi & ad muſeum admittat, niſi homines quorum fides eſt probata. Suſpicio minima & garrulitas famuli facit ut dimittatur. Quæ *verſiculo 3.* de aſſervandis Actis in Archivo, ſi Referens peregre abſit *§. 5.* de retradendis iis poſt expeditionem, conſtituta ſunt, nemo facile eſt neglecturus. *Mod.* Non video cauſam, cur *§. 2.* prohibitum ſit exempla fieri informationum Juris in Actis contentarum. *Pomp.* Non credo Viſitatorum (eſt enim locus hic deſumtus ex *Receſſ. Viſitat. Anno 1556. §. 6.*) mentem fuiſſe aliam, quam ut arcerentur ab iſta notitia amanuenſes vel alii. Hodie tanta non eſt curioſitas, neque operæ pretium, poſtquam typis vulgare informationes juridicas conſuevere litigantes. *Mod.* In copioſa, quam dixiſti, Actorum diſtributione poteritne Dominorum Aſſeſſorum quilibet de cauſa ipſi ad elaborandum deſtinata certus eſſe. Quid, ſi viſum fuerit Domino Judici alii eam demandare? *Pomp.* Solent Domini facere ſibi indicem Actorum diſtributorum, in quo tamen fieri poteſt, ut in majore numero memoriæ aliquid excidat. Et tunc recurritur ad Repertorium, quod habent Lectores. Conſtitutus legitime Referens absque cauſa juſta & indicata mutari non debet, neque alius Aſſeſſor ſurrogari. Meminiſſe potius oportebit *Receſſus Viſitat. Noviſſ. §. 60. & 87.* Accidere tamen poteſt, ut Aſſeſſor motu proprio, cum conſenſu Directoris, laborem

rem aliquorum Actorum deponat, vel, quod pluribus ſit oneratus quam expedire poteſt, vel ob valetudinem, vel alias cauſas. *Mod.* Inter ea, quæ in Ordinatione veſtra obſervavi maxime peculiaria, eſt hoc, quod per *§§. 6. & 7. hujus tituli* non permiſſum ſit Aſſeſſoribus Acta & Protocolla perluſtrare ad præjudicia excerpenda. Tantane in negotiis veſtris & Actis ſunt myſteria, quæ magis pateant Notariis & Lectoribus, quam Senatoribus ipſis? Parum abeſt, quin tribuatur ſcientia & experientia major Advocatis & Procuratoribus ſupra *tit. 14. §. 9.* Alibi ſane exempla rerum judicialium in ſecretis non habentur. Quid aliud ſunt JCtorum obſervationes, quam præjudiciorum teſtimonia publica. Oraculorum antiquorum ea erat cautela, ut abſconditis per Sacerdotes myſteriis, plebi imponeretur. Nonne etiam apud vos pro informando Judice cauſarum deductiones & illuſtrationes eduntur? Ex his vero ſatis præjudiciorum & rationum decidendi colligi poterit. Porro, quod primo loco dicendum erat, putarem ego ſtudium præjudiciorum utile magis eſſe, atque ad æqualitatem ſtyli *tit. 14. §. 9.* & *tit. 22. §. 4.* tantopere commendatam, inprimis neceſſarium, quam ut inter vetita ſit referendum. Quotusquisque enim eſt veſtrûm, qui hæc omnia absque indagatione diligenti ſciat? Denique in *verſiculo ultimo hujus tituli* libertas informationes ex Archivo ſumendi rurſus tribuitur

Aſſeſſoribus. *Pomp.* Patienter audivi ratiocinia tua, Modeſtine, video autem, te crude nimis verba legis percipere. Monui, ni fallor, ſæpius, quod ex collatione fontium intelligantur melius, quæ ex Receſſibus Viſitationum in Codicem *Concepti* retulere ejusdem auctores. Inſpice ergo *Receſſ. Viſitat. Anno 1577. §. 20. 1579. §. 3. 1585. §. 5. 1586. §. 2.* & agnoſces, abuſum quendam Legi huic cauſam dediſſe, qui in magno Aſſeſſorum numero vix ſatis caveri poterat ab iis, quorum cuſtodiæ Acta & Protocolla ſunt commiſſa. In numero Senatorum pauciore, hoc eſt XXV. ſi etiam modus ſit in diſtributionibus, periculum nullum eſt Actorum amittendorum per Aſſeſſores. Proinde erras tu, ſi prohibitionem intelligis ſimpliciter, cum hoc tantum voluerint Legislatores, ne cuique pro lubitu eſſet copia Actorum quorumcunque injuſſu Domini Judicis volutandorum & rimandorum. Si enim evolutio ad elaborationem penſi diſtributi foret neceſſaria, inſpectio nunquam denegabitur. Non ſunt myſteria negotia noſtra, quibus ignari decipiantur. Libellus præjudiciorum *in Tomo III. Symphorematum*, quibus nomen confictum *Gylmanni*, inſcripſit Editor, ab Aſſeſſore quodam collectus eſſe dicitur, iisque monumentis antiquis, quantum applicari poſſunt, libenter utimur. Quod ais de informationibus à partibus editis, earum apud nos magna datur copia, & liberum eſt litigantibus, eas proferre; per

per *Receſſ.Viſitat. §.71.* Quæ, ſi bene ſint elaboratæ, inſtructæ & cum Actis convenientes, rationes decidendi Sententiarum non poſſunt eſſe valde obſcuræ intelligentibus. *Mod.* Ita vero labor Referentium ſublevabitur. *Pomp.* Minime. Et inepti ſunt Advocati, qui Speciei Facti ſuum addunt votum. Uſus iſtarum informationum eſt is, ut tempore Relationis Senatorum memoria juvetur in circumſtantiis, quæ ex auſcultatione Relationis excidere poſſunt, necnon, ut documenta potiſſima, quæ uno ſaltem exemplo in Actis reperiuntur, quilibet ſecum habere & penſitare queat. *Mod.* Quidnam vero cauſæ, quod Referentes informatione iſtiusmodi carere debeant, juxta *Receſſ. Viſitat. dicto §.71.* *Pomp.* Voluerunt cavere Domini Viſitatores, ne eſſet, qui parceret labori proprio in Actis excerpendis & examinandis. Attamen ipſas informationes non petitas ad ædes Aſſeſſorum omnium mature ſatis deferre ſolent litigantes, ſæpius aliquot annis Relationem præcedentibus, imo ante Actorum diſtributionem. Paucorum iſtorum exemplorum gratia, quæ ad Lectoriam deferuntur, non foret opus ſumtus facere. Uſus eſt denique is, ut Dominus Judex, vel etiam Aſſeſſor, informationem forte nactus manuſcriptam, vel, quod gratius eſt oculis, typis excuſam, & inſpiciens, de qualitate cauſæ aliquam capere poſſit notitiam, an inter plures diſtributas maturatione opus habeat, an indi-

indigeat prolixiori labore. *Mod.* Agnoſco utilitatem informationum à litigantibus editarum, quæ, ſi utrinque accurate & cum additis documentis fiant, non eſt dubium, quin compendium inſigne, non laboris à Referente exantlandi, ſed deliberationis in Senatu, ſit futurum. In *verſiculo octavo*, qui in hoc titulo ſupereſt, lego, etiam ipſi Procuratori Fiſcali abſconditum eſſe debere cauſarum Fiſcalium Referentem. Deputatorum aliquis, an Referens eſſe poſſit, dubitare hic licebit, quia hujus erat officii conſiliis Actorem Fiſcalem inſtruere? *Pomp.* Non vanum hoc eſt dubium. Prohibitos tamen eſſe Deputatos ab officio referendi & conſultandi, in Lege ſcriptum non invenio, neque etiam uſu. Ceterum, quæ de Matricula Imperii in hoc verſiculo continentur, ad eam referenda ſunt tempeſtatem, in qua hæc & ſimilia ad arcana referebantur, hodierno tempore paſſim typis vulgata. Secreta olim erant multa, quorum notitia hodie invidetur nemini. Teſtimonio ſunt volumina à *Chriſtiano Lünigio* collecta. Pleraque ibi comprehenſa in ſecretis olim aſſervabantur. Quæ jure quis habet, hoc ut ſciat alter, facile pati poteſt. *Mod.* Nondum exemtum eſt mihi dubium ex *tit. 14. §. 9.* in quo ſcientiæ Advocatorum & Procuratorum multum tributum eſſe videtur. Ita vobis ab iſtis eſt diſcendum, & quid aliud ſunt Commentarii Blumii, Rodingii, Deckherri, quos paſſim allegari & in uſu eſſe

Digitized by Google

eſſe audivi. *Pomp.* Tempus erat olim, quo Aſſeſſores frequenter mutabant officia, & ſuccedebant novi. Advocatorum vero & Procuratorum, quorum honoraria & palmaria erant multo pinguiora ſalariis Aſſeſſorum, experientiæ tribuebatur nonnihil. Jam dudum vero in Collegio Camerali Senatores extitere rerum experti, ita ut Conſiliariis Advocatis & Procuratoribus opus non habeant, horumque libris non doctrinæ, ſed memoriæ juvandæ gratia utantur quandoque. De Blumio & Rodingio dictum fuit inter nos alibi. Pergamus in opere noſtro. *Titulus ſequens XXI.* de frequentatione Senatuum non multo *T. XXI.*
opus habet Commentario. Nemo enim, emanendo absque cauſa legitima, indiligentis Aſſeſſoris nomen ſibi contrahet. Quodſi antiquo tempore id factum, & neceſſe fuerit admonitione Viſitatorum corrigere, ad noſtra tempora non pertinet. Horæ Senatus, quæ olim fuerunt ſeptima matutina, uſque ad decimam, ob magnam incommoditatem in præparandis laboribus, mutata eſt *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 39.* ut ſit hodie hora octava uſque ad undecimam, exceptis tribus menſibus, *Novembr. Decembr. Januar.* in quibus duæ tantum horæ ſunt deſtinatæ. Idem obſervatur tempore feriarum magnarum, de quibus in *§. 610.* Initium earum eſt *decima ſeptima Julii, uſque 24. Auguſti;* confer hic *part. II. tit. 35. §. 10.* Numerus dierum juridicarum toto hoc feriarum tempore

pore raro excedit duodecimum. Ad *verſic. 7. uſque ad fin.* hoc tantum notandum eſt, quod, poſt mutatum Audientiarum non ſolum numerum, ſed etiam ordines & modum proponendi (de quibus omnibus conſulenda ſunt Decreta generalia Collegii poſt *Receſſ. Imper. 1654.* publicata) non opus ſit, ut tot adſideant Senatores ad auſcultandos in ſilentio Receſſus Procuratorum ſæpe non intelligibiles. Omnia enim peragi poſſunt per unum, vel juxta *Receſſ. Viſitat. §. 55.* præſente ſimul alterutro ex Dominis Præſidibus. Sententiæ in omnibus Audientiis publicari non poſſunt, ſed ſi ſunt paratæ. Dies Audientiis deſtinati ſunt: *Lunæ, Mercurii, Veneris*, &, ſi unus ex his ſit feſtus, Audientia anticipatur die proximo præcedente. Abſolvitur autem facile horis duabus, vel breviori tempore, quia perorant Procuratores neceſſaria, non dictando, ſed, quæ domi conſcripſere, legendo. Quod ne fiat præcipitanter, neque ita, ut recitare videantur ſibi ſolis in muſeo, ſæpius fuit monitum. Ob Audientiarum tempus contractum, de protracta vel denegata Juſtitia, quod pro ſtatu Judicii, qui tunc erat, metuebatur, vid. *§. 17.* hodie conquerendi cauſam habet nemo. Tandem, quod in fine tituli de expediendis Supplicationibus finita Audientia, præcipitur, ad res antiquatas pertinet. Senatus enim hodie non eſt niſi horis matutinis. *Mod.* Nunc ergo ad titulos ſequentes plura ſum auditurus, quæ in viridi

ſunt

ſunt obſervantia. *Tit. XXII.* de expediendis Suppli- *T.XXII*
cationibus agit, & in principio negotiorum horum maturationem inprimis juſſere Legislatores. Ex Colloquio noſtro Primo recordor, facilitate non pari, ut olim, decerni proceſſus. *Pomp.* Sunt etiam hodie, qui putant, Judicii Imperialis auctoritatem in decernendis Proceſſibus exerere ſe debere potiſſimum. Opinio hæc an fuerit veterum, qui petitis partium longe facilius, & absque ſcrupuloſa indagine, annuebant, ſuo loco relinquo. Ego cum iis facio, qui Judiciorum vim & auctoritatem in dirimendis controverſiis litibusque finiendis potius eſſe ſitam exiſtimant, quam in congerendis & alendis. Si etiam maturato labore & conſilio decidi poſſent cauſæ quam decerni, quod puto veteres Legislatores in votis habuiſſe, tunc etiam in expediendis Supplicationibus faciliores eſſe licebit. Ego hac de re in converſatione noſtra prima anticipavi multa, quæ recolere poteris. *Mod.* Meminero. *Pomp.* Scies etiam, quod per Privilegia de non appellando, quorum multo major, quam fuit olim, eſt copia: porro per neceſſitatem Lege Imperii Anno 1654. impoſitam, ut etiam probatio narratorum aliquo modo accedere deberet, compreſſa ſit flagitatorum immoderatio, adeo ut tanta multitudo rogationum, ut olim, non exiſtat. *Mod.* Exaudiri tamen oportet eos, qui juſtas offerunt Judicio querelas vel in prima Inſtantia, vel in via Appellationis.

Pomp.

Pomp. Omnino. Neque enim, quod de ſcrupuloſitate aliqua dixi, (quæ etiam per ipſius tituli principium in fine: Mit ſonderem Fleiß / ſo wohl mit Erwägung der Beylagen / als der *Supplicationen* ſelbſten; & §. 10. Verba: Nicht gar *Scrupuloſi* und eingezogen / juncto §. 11. eſt laudabilis:) aliter intelligere debes, quam quod experientia docuerit; multitudinem permagnam hominum qui ex cauſidicina victum quærunt, ignem litigiorum ſæpiſſime excitare & alere propter neceſſitatem. Prudens vero Judex ad finem litigiorum promovendum magis debet eſſe intentus. Dic, quæſo, Modeſtine, qua re magis oneretur conſcientia Judicis, vel ſuſpenſione Juſtitiæ, quæ fit per inhibitiones: vel denegatione Proceſſus, cujus exitum prævidere aliquo modo poteſt fore contra implorantem? *Mod.* Exiſtimo ego, longe minus eſſe damnum, ſi partes ſciant mature quid ſit expectandum, quam ſi per infinitas proceſſus ambages, & deciſionum moras, imo poſt cauſam deciſam, executionis, circumagantur: Tandem uterque, victor & victus, ſumtibus defatigati, tranſactione initâ, temporis & pecuniarum jacturam deplorare debeant. *Pomp.* Ultimæ provocationis beneficium nulli eſt denegandum, ſi gravatum ſe eſſe probabiliter oſtenderit. Verum tamen eſt, quod peccare graviſſime poſſit Judex, petitis ſupplicantium abſque circumſpectione debita annuendo. Advocatus & Procurator nihil metuit periculi,

riculi, cum ſupplicatio non erubeſcat. Judicis vero major debet eſſe phroneſis, & qua ratione, ſi evitari nequit, circumſcribi poſſit vel contrahi, providentia. *Mod.* Intelligo. Et per ea, quæ dixiſti, vereor ne major requiratur experientia in Proceſſibus decernendis, quam in decidendis. In his enim, ſecundum Acta & probata Judex fert Sententiam: in illis vero, an & quomodo proceſſus ſit formandus, proſpicit. *Pomp.* Bene rem tenes. Idcirco etiam *§. 4. & 7. hujus tituli* jubentur Neo-Aſſeſſores veteranorum uti conſilio. *Mod.* Eſtne autem conſilium ideo optimum quod à veterano profertur? Novi ego in Collegio meo Viros ætate ſpectabiles, quos tamen in difficili negotia tractandi modo nemo imitandos eſſe cenſet. Ita enim hominum aliqui à methodo cui aſſueverunt, licet detur melior & expeditior, ægre abduci poſſunt. *Pomp.* Non diſplicet hæc tua Philoſophia. Mihi etiam placet methodus electiva & liberior. Inſervire enim debet modus tractandi negotiis. Novus Aſſeſſor, ſi quid utile ſuaſerit & ipſo facto exercuerit, ego primus imitator eſſe non dubitarem. Hoc vero cavere ſolent Domini Aſſeſſores, ne quis in votis videri velit reliquis ſapientior, ſuæque opinionis amantior. Eſt enim ingratum ſingularium opinionum & ſuperfluæ prolixitatis, multo magis contradicendi aliquod ſtudium. *Mod.* Veniamus, ſi placet, ad ſingulorum verſiculorum

lorum analyſin. In principio recenſentur variæ Supplicationum claſſes, in quibus maturatione ſit opus. *Pomp.* Pro *Fatalium prorogatione* non eſt magni momenti petitio, ſi in principio Appellationis non ſit defectus. Iniquum enim foret, ſi mora Judicis officeret Appellanti. Supplicationum expeditio per alia negotia ſæpius impeditur, nam ſorbere & flare nemini eſt datum, & ſufficit prorogationis petitio ſtylô conſueto. In *mora periculum* frequenter inſcribunt Procuratores ut maturationem promoveant. Verbis tamen minime credit Referens, ſed, ſi vera ſint, monere non gravabitur, & facere quantum ſuâ diligentiâ poteſt. De *violatione Pacis Religioſæ* rariores hodie ſunt querelæ, cum mitiores facti ſint plerorumque animi quam fuerant olim. *Binas & ternas petiti repetitiones* intellige ante expeditionem Supplicæ primæ. Nam, ſi denegato petito, Procurator denuo inſtet, nulla prolata ratione nova & ſufficiente, expectandum erit donec vacabit inhæſivam repulſam dare. Monitum *verſiculi primi* de *inſcribendo Supplicationi die*, non ſolent negligere Procuratores. *Secundus*, civiliter eſt intelligendus, ſi etiam deliberatio ſit intra tempus Senatui deſtinatum abſoluta. Notariorum eſt officium, Decreta inſcribere libellis. Ad *§. 3.* conferendus eſt *Receſſ. Viſitat. §. 65.* In hoc præſente titulo hoc tantum prohibetur, ne quis ſe ipſum faciat Referentem Supplicationum. Hoc vero quo-

quomodo fieri poſſit, mihi eſt ignotum, cum de Supplicationibus in Cancellaria exhibitis nullus Aſſeſſorum certior reddatur, quam ſi per Notarium ad Dominum Judicem vel Vicarium deferantur, & ab hoc diſtribuantur. *Mod.* Quænam fuit cauſa juſſionis in *Receſſu Viſitat.* §. 65. *Pomp.* Solebant antea Aſſeſſores lectione libellorum ſupplicium cum adjunctis in Senatu tempus abſumere quandoque dierum aliquot. Magnum vero eſt compendium & temporis lucrum, ſi, cumprimis in cauſis gravioribus, labore domeſtico deliberatio præparetur. *Mod.* De ſtylo uſitato obſervando recurrit §. 4. admonitio, qua de re alibi dictum fuit. Ad *verſiculum quintum* de *controverſiis inter Dominum & Subditos*, Commentarii loco eſſe poteſt *Receſſ. Imper.* 1654. §. 105. 106. *Capitulat. Cæſar. Noviſſ. Artic. XIX.* & *Receſſ. Viſitat.* §. 10. Obſervare *Privilegia de non appellando* jubentur Aſſeſſores hic §. 6. & *part.* 11. *tit.* 31. §. 12. 13. quod etiam inculcatur *in dicto Receſſ. Imper.* §. 111. & 123. junct. *Inſtrum. Pac. Artic. V.* §. 56. *in fine Receſſ. Viſitat.* §. 9. Utinam & nullus exiſteret Privilegiorum iſtiusmodi abuſus in detrimentum ſupremæ in Imperio Juriſdictionis. *Verſiculum ſeptimum* expoſui ſupra. *Octavus* & *nonus* ad munus Notariorum pertinent, qui vota ex ore Aſſeſſorum, cum Decretis, Protocollis in Senatu, eadem quoque Supplicationibus inſcribunt. Fuit aliquando tempus, quo Aſſeſſores ipſi operâ Pro-

 tocol-

tocolli Senatus conſcribendi, neſcio qua ex cauſa, functi ſunt: ſed hoc optime mutatum, ita ut nullus Aſſeſſorum id onus ſibi imponi patiatur hodie, multo minus ipſe ſit occupaturus. *Decimus verſiculus* de formulis Decretorum agit. *Mod.* Breviſſima & gravia fuiſſe olim audivi: Erkannt/ vel abgeſchlagen. *Pomp.* Ad affirmativum plenum ſufficit vocula: Erkannt. Sæpius additur modus verbis paucis, vel, pro re nata, prolixioribus. Conſules tu, ſi doceri ea in re velis, libros, in quibus formularum copia eſt collecta. Denegatoria Decreta ita formanda eſſe voluere Domini Viſitatores Anno 1562. *§. 24.* ne petitorii cauſa repulſæ plane ſit obſcura, v. gr. Si ſupplicans ob Jurisdictionem non fundatam ad aliud forum ſit remittendus: Si ob Privilegium appellatio non recipienda: Si narrata ad petitam viam Proceſſus non quadrent: Si, quod petitur, legibus plane ſit adverſum &c. Niſi enim defectum intelligat ſupplicans Procurator, ipſe in divinando errans Judicio moleſtus eſſe non deſinit. *Mod.* Putarem, nihil referre ſi indicetur ei diſerte defectus. *Pomp.* Fieri ſolet ſæpius ut remittatur ſupplicans ad Notarium, formula: *Loquatur Notario.* Cujus formulæ origo eſſe dicitur à tempore, quo Aſſeſſores ipſi nullo Notario præſente extrajudicialia negotia tractabant, &, ſi quid monendum occurreret, vel Procuratori indicandum, hoc per Referentem Notario dicendum erat,

i. e.

i. e. Loquatur Referens cum Notario, hic vero monebit Procuratorem. *Verſiculo undecimo* circumſpectio illa commendatur, de qua egimus ſupra pluribus. In *§. 12.* conſtituitur de *Clauſula*, quam vocant *ſalutarem*, ſupplicantium medicinam, quod in proceſſibus decernendis ejusdem effectus nullus eſſe debeat, h. e. ſi ad aliquod proceſſus genus petitio male ſit directa, Judici non liceat, vi clauſulæ ſalutaris, aliam proceſſus viam eligere ex officio, ſed potius ſupplicans, ut emendet libellum ſit monendus. Hoc volunt verba Decretorum: **Wie gebetten / abgeſchlagen.** *Verſiculus 13.* cautelam continet contra calliditatem Procuratorum. Tentant tamen aliquando, ſed detecto artificio, mulctam non effugiunt. *Verſus 14ti* praxis noſtra ætate non extitit, ceſſantibus jam dudum Viſitationibus annuis, neſcio an ſumtuum metu, an per alias occupationes Conſiliariorum huic negotio aptorum, an rerum forenſium tædio. Judicium Camerale bene conſtitutum gaudebit ſemper, ut habeat teſtes ſuæ dexteritatis Imperii Procerum Delegatos rerum peritos & prudentes, qui fungantur officio viſitandi Collegii; **Vom oberſten biß zum unterſten**: ut ait *Receſſ. Imper. Anno 1532. 27. Jul.* **das Cammer-Gericht betreffend** / *§. 6.* vide *Receſſ. Deputat. Spir. Anno 1557. §. 1.* ad quem fortaſſis reſpexere querelæ Aſſeſſorum quondam Kochiorum ad *Ordinat. Camer. de Syndicatu pag. 449. Edit. Deckherriana inter Monumen-*

numenta Lection. antiq. *Ultimus verſiculus* de remittendis cauſis, exiſtente in Collegio votorum paritate, ad Cæſaream Majeſtatem & Comitia, explicatur pluribus in Lege Pragmatica *Inſtrum. Pac. Artic. V. §. Viſitatio. &c. 56.* *Mod.* Celebris eſt iſta Conſtitutio, ad cujus verba: *Si vero inter Mediatos &c.* peto, ut mihi locum in veſtra Ordinatione monſtrare velis, juxta quem lis terminari debeat. *Pomp.* Hunc tu quæres ex Conditoribus tabularum, vel ex Protocollis Conſultationum. Ego in noſtro Codice non legi, neque enim in ejusmodi cauſis penes Dominum Judicem vel Vicarium deciſionis erit arbitrium. *Mod.* Quis vero rei exitus? *Pomp.* Si ad concordiam redigi nequeant Aſſeſſorum vota, nihil erit actum, & meliora tempora expectanda.

Tit. XXIII. *Mod.* Cum magna expectatione jam aggredior *Titulum XXIII.* ut ex eo inſtruar de methodo referendi optima. *Pomp.* Deguſtanda nobis ſunt ante omnia præliminaria tituli, idque paucis verbis, cum ad *Tit. XII.* potiſſima anticipaverim. De cauſis levioribus, Beſcheid‧ Tiſch‧ Sachen / de Sabbathinis, de interlocutionibus, nihil, quod dictis addam, habeo. Quod vero de tempore legitur, in quo expediendæ ſint Relationes Interlocutoriæ menſe uno *§. 1.* Definitivæ, pro gravitate cauſæ, tempore ſemeſtri vel breviori *§. 3.* ſi ad *L.* Imperatoris Juſtiniani, *properandum nobis viſum eſt &c. 3. Cod. de Judiciis*;

quo-

quodammodo reſpexere Legislatores; vide *Receſſ. Viſitat. Anno 1531. §. 12. 13.* providendum etiam fuiſſet de futuro ſemper & ſuſtentando ſufficiente numero operariorum, in hac larga laborum meſſe. Finis eſt optimus, mediorum vero lentus ſucceſſus. Poterit tamen finis obtineri aliqua ratione, ſi juxta *§. ſequentem 4tum* Aſſeſſores Actorum diſtributione non onerentur magis quam fieri debebat. Memento, Modeſtine, quæ diſſerui de numero Relationum abſolvendarum in Colloquio Primo. De prærogativa cauſarum antiquiorum in ordine Relationum *§. 5.* repetita, ſufficiunt dicta ad *Tit. XII.* ubi etiam de iis quæ dicuntur privilegiatæ. *Mod.* In mora periculum eſſe omnis dicet, qui finem litis exoptat, vel qui executionem etiam juſtam metuit. *Pomp.* Referentis ergo eſt, de qualitate cognoſcere, neque enim alius, quam ipſe, quæ Acta ex diſtributis ſint præferenda, ſcire poterit. *Mod.* Quomodo fieri poſſit ut Aſſeſſorum aliquis in referendo, turbato ordine, aliis ſe obtrudet, ego non capio. *Pomp.* Verba *§. 6.* Mit ſeinen *Relationibus* eindringen / indecorum aliquid ſignificant, cujus facti, ſi tale quid in *§. 6.* indicatum eſſe & correctum putes, ego nullam habeo notitiam. Non ſolet referre Aſſeſſor cauſam, niſi facto Domino Judici indicio, vid. *§. 15.* neque poterit, ſi impediatur vel à Directore, vel à Collegis. Horum enim conſilio, ſi cauſa ſubſit juſta, ut Dominus Judex utatur,

tur, in hoc ipſo §. *6.* eſt expreſſum. De ordine referentium collocuti nos ſumus ad *Tit. X.* §. *4.* *Verſiculus 7timus* agit de præferendis Relationibus eorum, qui valedicere volunt officio Aſſeſſorio. Qui locus nihil habet difficultatis. *Octavi verſiculi* diſpoſitio eſt intellectu facilis, ſed non magni momenti hodie, quia omnes, etiam leviores cauſæ in Senatu proponuntur. Sequentes §§. ad modum referendi propius ſpectant. *Mod.* In perluſtratione animadverto initium de *Referendi methodo* fieri §. Da dann zur *Relation* zu ſchreiten ꝛc. *17mo.* præcedentia eſſe generalia, aliqua etiam unicuique, qui parum in rebus judiciariis verſatus eſt, notiſſima. Quis enim eſt, qui absque meritorum cauſæ inſtructione ſufficienti Relationem definitivam eſſet exorſurus, vel non præparato voto, vid. §. *9.* *Pomp.* Non faciet prudens. Quodſi litigantium importunitate, vel favore aliquo, motus Director (is enim de ſtatu Actorum & meritorum certior eſſe nequit) Referentem urgeat, hic liberabit ſe facile, ſi paratum ſe eſſe ad referendum oſtendat, tum vero paucis, quod in meritis non inſtructa ſint Acta, exponat, non, quod antea hoc ignoraverit, ſed ut ſuſpicionem moroſitatis à ſe amoveat. Votorum aliqua facilioris ſunt laboris, ita, ut durante Relatione, ſcripto comprehendi poſſint. Quæ majorem requirunt diligentiam, neceſſario in promptu eſſe debent ante Relationis exordium. *Mod.* In §. *16.* obſtringitur

gitur Referens, ut in Relationis ſuæ principio votum elaboratum oſtendat, cum tamen in §. *9.* moderamen ſit additum: So viel móglich. *Pomp.* Puto ego *verſiculum 16.* facere ad impediendum, ne quis paratum ſe eſſe venditet absque elaborato voto. Mallem ego de binis vel trinis Relationibus cum voto præparatis gloriari, quam de decadibus aliquot nudorum extractuum. *Mod. Decimus & undecimus verſiculus* de obſervandis Mandatis Procuratoriis agunt, quorum curam nemo Referentium negligere ſolet. *Pomp.* Facilior etiam hodie eſt res, poſteaquam formula Mandati Procuratorii eſt præſcripta, quam, ne aliquid deſiderari poſſit, typis excuſam habent Procuratores, eamque clientibus ad ſubſcriptionem tranſmittunt quandoque non rogati. *Duodecimi verſiculi* uſus eſt frequens. Solenne enim eſt Procuratoribus petere tempus pro informatione ex Actis capienda, (cui an operam debitam navent, ſcient ipſi) neque tamen propterea ſuſpenditur Sententiæ publicatio. Eum in finem ſemper ſubſtitutus Procurator nominari debet in Mandatis. *Verſiculus 13. 14.* de ſecundis Referentibus agit. Nos ea de re collocuti ſumus ad *Tit. 12. §. 16.* Correferens an & quis mihi ſit conſtitutus, ego non inquiro, non tamen eſt indifferens. Si enim, quod quandoque fit, ad moram Relationi paratæ inferendam petitur, & à Domino Judice ſub ſpecie alia impetratur, cumprimis ſi contra Legem

Digitized by Google

Receſſus Viſitat. Noviſſ. §.67. mallem ego, ut Actorum iſtorum labori alia prætuliſſem. A principio ſi conſtituatur, nihil ſit Legi contrarium, ſed ſi ſcirem collegam, pro re nata peterem à Directorio, ut Correferens labore ſuo defungeretur prior, ne ſit neceſſe mihi parato eum expectare. *Mod.* In mentem hic venit *Tit. XII. §. 16.* qui ſi cum *tituli* præſentis *XXIII. §. 4.* conferatur, Aſſeſſoribus non quatuor, ſed octo Relationum labor quovis anno incumbet. *Pomp.* Tu interim memineris eorum, quæ dixi ad *Tit. XII. §. 16.* *Mod. Verſiculum 15.* ſupra recenſuiſti. Ad prohibitionem *§. 16.* comprehenſam adductos Viſitatores *Anno 1570. 1600. & 1577.* non crediderim, niſi fuiſſent tunc temporis & ante *Receſſ. Imper. 1654.* (huc facit *§. 144.*) Aſſeſſores aliqui auſpicantes Relationem absque penſitatione meritorum cauſæ ſufficiente, narratione quadam perfunctoria omnem operam abſoluturi. *Pomp.* Id quidem ego ignoro. Hoc ſcio, nullum eſſe hodie, qui ſe ſiſtet ad referendum non inſtructus. *Mod.* Expecto tandem aviditſſime, quæ mihi traditurus es de methodo referendi. Ea enim, quæ in *§. 17. 18. 19.* leguntur, neceſſaria quidem, me tamen nondum inſtruunt ſatis. *Pomp.* Credo. Continebis autem deſiderium tuum, uſque dum, ſepoſitis paulisper *verſiculis 17. 18. 19.* reliquos hujus tituli expoſuerimus. In *§. 20.* prohibetur id, quod ut fiat, nemo in Senatu eſt permiſſurus.

Diſtin-

Diſtincta negotia confundere & turbare meditationes, non oportet. Veterum ea in re defectus correxit *Receſſ. Imper. 1654. §. 146.* quos tamen, neque hodie plane ceſſare, & interruptas fuiſſe Relationes, experti ſumus. De cauſis interruptionum diſſerere, longum foret. Ad *§. 21.* notabis, Aſſeſſores hodiernos temporis & laboris ſui majorem quærere uſuram, quam ut Acta & diſputationes deſcribant. Hoc tamen permiſſum eſt, ut Acta, ex quibus fit Relatio, domi perluſtrent, imo ipſum Referentis votum, ut tanto melius informati votum dicere poſſint, *Receſſ. Imper. 1654. §. 144.* & *Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 74.* Porro cum Senatores unicuique Relationi præſentes per Notarium annotentur, cum ſingulorum votis in Protocollo Senatus, ſubſcriptio, de qua agit *§. 22.* non amplius requiritur. Quæ *verſiculis 23. & ſeqq. uſque ad finem*, de quinque Actorum exemplis à litigantibus in Lectoria ad uſum Aſſeſſorum, Referentibus exceptis, deponendis conſtituta leguntur, dudum in uſu eſſe deſierunt, & in eorum locum ſucceſſere informationes, juxta *Receſſ. Viſitat. §. 71.* verſ. Zweytens ꝛc. de quibus dixi ad *Tit. XX.* Quo beneficio litigantes ſi non utantur, Actorum diſtributio propterea non ceſſabit, neque relatio. *Mod.* Jam ne longius differas promiſſum de Relationum methodo, etiam atque etiam rogo. *Pomp.* Ego vero miror, te, jam dudum Conſiliarium in Colle-

gio Regiminis, de methodo referendi cauſas inſtrui velle. *Mod.* Compendioſus eſt modus, quo nos utimur: abſolvitur enim facti narratione, & ratiocinatione quadam brevi quid pronunciandum videatur. Plerumque tranſmiſſio Actorum petitur & conceditur. Veſtri vero labores procul dubio majore opus habent induſtria. *Pomp.* Anno 1657. fuit præſentatus ad Aſſeſſoratum, qui, cum ad ſpecimen edendum eſſet admiſſus, petiit, ut copia ſibi fieret aliquarum Relationum pro cognoſcenda methodo. Hunc ad Relationes Meichſnerianas & variorum à Klockio collectas remiſere Domini. Parum abeſt, quin ego te illuc ablegarem; ſed ut confidentius agam tecum, ſcire te volo, methodum referendi Cameralem non eſſe rem abſconditam, ſed maxime naturalem. Et ſi judicium adferas, generalia præcepta in hoc titulo *§. 16. 17. 18.* & *Tit. ſeq. §. 2. & 7.* porro in *Receſſ. Imper. 1654. §. 143. uſque 156. Receſſ. Viſitat. Noviſſ. §. 71. 72. 73.* ſufficient. Regulis enim ſpecialibus res hæc tradi non poteſt, ſed pro natura cauſarum & Actorum, quilibet prudens ſibi ipſi faciet normam in Relatione obſervandam. Princeps cura eſſe debet, ut facti hiſtoria componatur quam diligentiſſime & perſpicue, ut certus ſit, non ſolum ipſe Referens de vero controverſiæ ſtatu, ſed etiam eâdem perſpicuitate de eo informare poſſit Senatores reliquos. Quis enim non perderet patientiam, ſi poſt aliquot horarum auſcultationem,

